

Google



DE

REPVBLICA RHODIORVM COMMENTATIO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN


VNIVERSITATE RVPERTO-CAROLA HEIDELBERGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLVS SCHVMACHER

DVHRENSIS


University of California
Lux ex Tenebris.
Claus Spreckels Fund.

DE

REPVBLICA RHODIORVM COMMENTATIO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE RVPERTO-CAROLA HEIDELBERGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT Karl Schumacher.

CAROLVS SCHVMACHER

DVHRENSIS

HEIDELBERGAE

IN AEDIBVS C. WINTERI

MDCCCLXXXVI

IIS53
R4S3

SPRECKELS

PARENTIBVS OPTVMIS



Sat multum praeterlapsum est tempus, ex quo Rhodiorum rebus publicis perscrutandis operam navare et cuncta, quae de eorum iure publico scimus, ordine exponere in animo destinavi. Per quod tempus cum complures commentationes iisdem in rebus versantes foras sint datae, nihil iuvat eandem materiem totam repetere accurateque, quae de singulis illorum institutis habemus comperta, denuo ostendere. Itaque plerumque in eo acquiescemus, ut cum in iis, quae homines docti nobis videantur minus recte disputasse, periculum faciamus emendandis, tum quae ad id temporis neglecta sunt, de iis quaedam proferamus nova.

Paucissimis igitur tantum, quae de Rhodiorum rebus hodie exstant hominum doctorum opera, nobis sunt perlustranda.

Atque primum quidem memorandum, a Meursio in libro illo, qui inscribitur Creta, Rhodus, Cyprus, Amstelodami 1675 edito, quae hic illic dispersa inveniuntur veterum scriptorum testimonia, diligentissime quidem, sed illius temporis more sine ullo ordine iudiciove esse congesta. Deinde Paulsenius anno 1818, quae Meursius collegerat, non solum circumspecte disposuit, sed etiam in scientiam contulit augendam. Quam congeriem optime sic in ordinem redactam, qui iam tractatum ivit Schneiderwirthius in libro, cui titulus est «Geschichte der Insel Rhodus» anno 1868 composito, etsi quaedam non infeliciter coniecit, tamen in universum adeo non in uberiorem fructum usumve convertit, ut neque artis criticae respiceret progressus neque inscriptionum adhiberet purissima illa praeclarissimaque subsidia. Quattuordecim demum annis post Bottermundius in dissertatione sua inaugurali Halis Saxonum 1882 conscripta novis inscriptionibus adiutus denuo ad Rhodiae civitatis formam describendam aggressus est ac primus certam interioris rei publicae status imaginem delineavit. Quod etsi in universum bene egit, tamen in eo reprehendendus mihi videtur, quod neque numerum sat amplum titulorum Rhodiorum ad singula demonstranda adscivit,

neque ullum omnino proximorum communium Doricorum respexit. Denique novissimis his diebus Gustavi Gilberti prodiit liber, qui inscribitur «Handbuch der Griechischen Staatsalterthümer, II. Band, Leipzig 1885», in quo pagina 174 sqq. paucis quidem, sed accurate Rhodiorum res publicae pertractatae sunt, et ipsorum eorum, quae Bottermundius omiserat, diligenter ratio est habita.

Quibus copiosioribus virorum doctorum commentationibus accedunt innumerabiles disputatiunculae commentariique inscriptiones illustrantes, ubique in actis et libris dissipatae, quas suo quoque loco laudabimus, sed ita, ut praeter usitata hisce scripturae compendiis utamur:

Br. Mus.	=	ancient Greek inscriptions of the British Museum t. II;
b. h.	=	bulletin de correspondance hellénique;
Ross, In. in.	=	Ross, inscriptiones Graecae ineditae;
Ross, Hell.	=	Ross, Hellenica, Halle 1846;
j. of. h. st.	=	journal of hellenic studies;
Ross, Arch. Aufs.	=	Ross, archäologische Aufsätze II, Leipzig 1861;
M. a. A.	=	Mittheilungen aus Athen;
M. a. Ö.	=	Mittheilungen aus Oesterreich;
Rev. arch.	=	Revue archéologique;
Tr. o. the r. soc.	=	transactions of the royal society of literature;
Löwy, Inschr.	=	Löwy, Inschriften griechischer Bildhauer;
Ditt. syll.	=	Dittenberger, sylloge.

Quibus commentationibus quamvis multis ac variis tamen non omnia ita exhausta sunt, ut non restent permulta quae tamquam primoribus labris attacta esse videantur.

Comparantibus autem nobis et scriptorum et inscriptionum de rebus antiquis testimonia, duas maxime elucere differentias est consentaneum. Namque rerum scriptores quid quaeque res sibi velit, quid valeat, aut disertis verbis monent aut toto sententiarum conexu dilucide significant, inscriptionibus, quae vis ei rei, de qua agitur, subsit aut quem ad finem sit instituta, rarissime fit, ut clare manifestetur. Alterum vero discrimen in

eo conspicitur, quod scriptorum verba plerumque ad certa notaque temporis spatia referri possunt, singularum inscriptionum multo rarius possunt. Quae cum ita se habeant, studium nostrum in eo potissimum apparet esse collocandum, ut unamquamque inscriptionem artissimis temporis finibus circumscribamus, circumscriptam adhibitis fundamenti instar scriptorum exploratissimis quae ad idem tempus spectant testimoniis explicemus. Inde efficitur, ut scriptorum verba inscriptionibus quasi lumen afferant, accipiant fidem veritatemque.

Verum enim vero ab initio non dubitamus candide profiteri pro tanto titulorum Rhodiorum numero perpaucos esse quorum tempus accurate possit definiri. Hoc autem duabus de causis factum est, primum quod editores de singularum litterarum formis vel potius de toto litteraturae habitu raro reddiderunt rationem, dein quod ferme desunt tituli, qui aut ad res a scriptoribus narratas spectent aut nomina aliunde nota referant. Neque tamen res prorsus est desperanda, id quod fortasse aliquis primo obtutu putet. Nam plerisque inscriptionibus, quae quidem instituti ad publicum ius pertinentis mentionem faciant, adeo non ad singula interioraque ut ita dicam descenditur, ut nisi extrema tanquam lineamenta non ducantur, quae, quamvis varii casus evenirent, tamen raro immutationibus erant obnoxia. Accedit quod Rhodii inde a Demetrii oppugnatione anno 304 facta usque ad annum 171 a. Ch. n. ab externis populis nunquam sollicitati tam prudenter et constanter — id quod saepius cum alii scriptores tum Polybius monet — in administranda republica versati sunt, ut eos graviores quasdam commutationes eo tempore fecisse ab omni probabilitate abhorreat. Itaque cum hoc potissimum tempus commentatio nostra spectet, ad permultas res constituendas plane nihil differt, utrum titulus aliquis ad saeculum tertium an ad secundi initium sit referendus.

Commutata est sane ea Rhodiorum condicio secundo bello Macedonico confecto. Neque enim Polybii verba l. 30. 6. 2; 31. 7. 10. 16. 20; 33. 15. 3 legenti dubium est, quin tum Romani, quia Persei partibus favere Rhodii videbantur, non modo quae commeandi communicandique rationes intercederent inter illos et gentes alias praescripserint, sed etiam aliquo modo populi contiones et fortasse etiam iudicia vinxerint atque represserint. Verum

iam anno 164 foedus cum Rhodiis impense supplicantibus pacti sunt ea lege, ut Rhodii in civitatum foederatarum numerum reciperentur. Has autem civitates in omnibus rebus, quae tantum ad commune pertinebant administrandum, plane sui iuris fuisse multis exemplis probari potest (cf. Marquardt, Röm. Staatsalterthümer I, p. 44). Denique anno 84 a. Ch. n. Appiano teste Rhodiis pro magnis eorum in bello Mithridatico meritis plena libertas reddita est. Quae cum ita sint, nihil obstat quominus nonnullis in quaestionibus etiam inscriptiones anno 164 aliquanto posteriores ad adumbrandam interioris civitatis formam, quae quidem tertio fere a. Ch. n. saeculo fuerit, adhibeamus.

Inscriptiones autem inde ab exeunte ultimo a. Ch. n. saeculo incisae certis quibusdam indiciis tam facile agnoscuntur, ut prorsus non sit periculum, ne quae posterioribus demum temporibus sint instituta, ad priora falso referamus.

Pars I.

I. Quaenam rationes iuraque fuerint constituta inter caput insulae (Rhodum) et Camirum, Ialysum, Lindum.

Iam ad ipsam descriptionem transituri primum de eo disseramus, quae rationes iuraque fuerint constituta inter caput insulae et Camirum, Ialysum, Lindum, antiquissima illa Rhodi oppida; nam de ea quaestione homines docti ad hoc tempus minus diligenter disseruerunt. Atqui cum Rhodus urbs συνοικισμῷ hominum ex tribus illis communibus in unam urbem anno 407 commigrantium condita sit, quo ipso quasdam novae reipublicae formas et institutiones a veteribus illis civitatibus derivatas esse per se patet, si harum rerum publicarum disciplinam illustraverimus, etiam quaedam communis capitis instituta clarius perspici in propatulo esse mihi videtur.

Caput I.

1. Quid de singulorum horum oppidorum rebus publicis constet.

Primum igitur quid ex inscriptionibus — scriptores enim hic nos deficiunt — de singulorum horum oppidorum rebus publicis hauriatur, accurate exponemus; deinde quae communia

illorum fuisse videntur instituta, sic una tamquam imagine complectemur, ut quae universa eorum fuerit condicio maximeque cum capite stabilita dilucide appareat. 2. Quae communis eorum fuerit condicio maximeque cum capite stabilita.

Camirus.

Atque primo loco de Camirensium pagis erit disputandum. Sed quoniam primo obtutu ad tria illa oppida pertinuisse pagos cognoscitur neque quisquam, nisi communem insulae instituas contemplationem, non posse recte iudicari neget, iam liceat, ut ordinem disputandi, quem modo pollicitus sum, egressus non tantum de Camirensium, sed etiam Lindiorum Ialysiorumque pagis disseram. a) Camirus. α) de pagis.

Dudum ex titulis Rhodiis homines docti effecerunt insulam inde ab antiquissimis temporibus haut paucos continuisse pagos, qui artiore quodam vinculo cum una ex tribus illis urbibus essent constricti. Significari enim pagos attributis illis, quae ubique in Rhodiis inscriptionibus nominibus civium apposita sunt, his argumentis certissime convincitur. Primum quidem in catalogis Atticorum tributorum inter alias civitates enumerantur Βρικινδάριοι ἐρ Ῥόδῳ, Πεδιῆς ἐλ Λίνδῳ vel ἐγ Λίνδου (cf. Köhler, «Urkunden zur Gesch. d. del.-att. Bundes», *Abh. d. Berl. Akad.* 1869, p. 184 et 192), et occurrunt eadem nomina persaepe in gentiliciis illis Rhodiis. Deinde autem in ipsis inscriptionibus Rhodiis non raro attributa illa opponuntur ethnicis Χαλκήτα, Καρπαθιοπολίτα, Νισύριος, Τήλιος aliis, unde ipsa ad domicilium respicere cogitur. Denique vero cum in titulis Rhodiis *Rev. arch.* 1867 II p. 31 n 71 et *j. of. h. st.* II p. 356 editis verbis Ποντωρεία et Νεττεία pagorum nomina dentur, vocabula Ποντωρεύς et Νεττίδας, quae saepius in Rhodiis lapidibus obviam fiunt, aeque demotica esse ac quae in iisdem et ceteris titulis leguntur attributa, certissime statuitur.

Qua condicione pagi veteresque illae tres urbes, cum sacrorum maxime societate niteretur ac confirmaretur, tam diu constanterque sunt usi, ut ne condito quidem Rhodo capite dirimeretur aut evanesceret; etenim posteriore quoque aetate maior minorve in catalogis invenitur pagorum numerus necessitudine quadam cum unaquaque illarum coniunctus.

Quamquam autem hodie nondum fieri potest, ut eorum

situs constituamus eoque veterum illarum urbium fines terminemus, tamen ubi primum plures erunt inventae inscriptiones et locus, ubi quaeque est reperta, accuratius erit cognitus, via ac ratione progredienti, praesertim cum hodierna vicorum nomina saepius eadem sint vel similia, rem bene processuram esse minime desperem. Sed possunt iam nunc plerique pagi suis urbibus tribui. Quoniam autem iam susceperunt partem huius operae homines docti et tota haec quaestio paulo minoris est momenti, cunctam materiem hac in dissertatione colligere atque ante oculos ponere non e re erit. Itaque satis habeo pauca de ea re adnotare.

Numerus eorum pagorum, qui adhuc in Rhodiis inscriptionibus innotuerunt, tantus est, ut ipsam insulam vix quisquam opinetur omnes continuisse. E contrario vero saepius evenit, ut demotica in Rhodiis inscriptionibus obviam facta ab hominibus doctis Stephani testimonium secutis referrentur ad Lyciae aut Cariae urbes, donec novis titulis inventis ipsius insulae pagis illa esse addenda discebamus. Hunc autem in errorem duabus de causis inciderunt homines illi docti, altera quod in Peraea, Lycia, Caria permulta loca a Rhodiis condita nomen a patriis vicis aut gentibus duxerunt, altera quod Stephanus — id quod pluribus exemplis demonstrari potest — usus Crateri συναγωγῇ ψηφισμάτων, in qua hic auctor et Carica et Lycia et Doricarum insularum tributa communi Καρικοῦ φόρου nomine erat complexus, multas urbes attribuit Cariae, quae re vera positae erant in Peraea aut iis insulis, quae ad Καρικὸν φόρον pertinebant.

Atque id quidem, quod priore loco dixi non omnia demotica, quae in Rhodiis titulis et sepulcralibus et publicis inveniuntur, ad ipsius insulae pagos respicere, cum aliis tum hoc puto confirmari exemplo. Nam tribus in titulis sepulcralibus in Rhodo insula inventis legitur demoticum Βρυκούντιος (*Ross, Hell.* p. 106 n. 33 a. b, *Rev. arch.* 1866 II. p. 328 n. 42), quo Carpathi insulae demum significari certissime constat (cf. *Ross, Inselreisen* III, p. 64 (62); *Wescher, Rev. arch.* 1863 II. p. 471; *Köhler, Abh. d. Berl. Akad.* 1869 p. 184; *Beaudouin, b. h.* IV. p. 274, VIII. p. 358). Quod autem his in titulis Rhodiis homines Carpathii demotico suo, non ut erat consentaneum, ethnico sunt designati — peregrina enim in terra ethnicon

sive Καρπαθιοπολῖτα sive Καρπάθιος (cf. *Köhler*, *Abh. d. Berl. Akad.* 1869 p. 187; *Beaudouin*, *b. h.* VIII. p. 357; *Gilbert*, *Handbuch* II. p. 214 adn. 2) adhiberi exspectes — id optime quadrat cum eo, quod etiam in titulis Carpathiis nomina Rhodiorum pagorum occurrunt (cf. *Ditt. syll.* n. 331 adn. 12). Quod argumentum si componimus cum testimoniis et nummorum et scriptorum [cf. Plin. (n. h. V. XXXI.), Dio Chrys. (or. 31. 592 R)[1]), Arist. Ῥοδιακὸς (Dind. 546)] indicantibus Carpathum proximasque Rhodo insulas per longius temporis spatium sub Rhodiorum potestate fuisse, a vero proxime abesse nobis videmur, cum Dittenbergero statuentes et Carpathum et ceteras insulas finitimas aeque ac Peraeam partem effecisse ipsius Rhodiorum civitatis. Quam quidem sententiam eo certius affirmari posse censeo, quod nova quaedam argumenta ad eam fulciendam — ut infra videbis — possunt afferri. Quae cum ita sint, veri est simillimum in numero demoticorum in Rhodiis inscriptionibus commemoratorum inesse et subiectarum vel potius foederatarum insularum et Peraeae pagorum nomina; eodem enim more Attici intra suam terram, Delo insula non excepta, dummodo ne cum exteris agerent, demoticis utebantur[2]). Quae quidem de priore illius meae sententiae parte.

Quod deinde dixi iniuria persaepe homines doctos Rhodiorum lapidum demotica ad Cariae oppidula rettulisse, id, ubi Foucartii, Rossii aliorum adnotationes de gentiliciis illis factas cum novorum titulorum testimoniis contuleris, nulla egebit commentatione. Neque tamen contenderim in aliis quibusdam titulis de Caricis

---

[1]) καὶ γὰρ τὴν ἄντικρυς χώραν καὶ Κάρπαθον ταύτην καὶ ἤπειρον, ἑτέρας νήσους καὶ καθόλου πολλὰ ἔστιν εὑρεῖν, ἃ κοινῇ μὲν ἀπεγράψατο ἡ πόλις (sc. Rhodus), διῄρηται δὲ εἰς τοὺς κατὰ μέρος.

[2]) Quod si recte disputavimus, vocabulum Καρπαθιοπολῖτας et in lapidibus Carpathiis (cf. *Ross, In.* in. 265; *Hell.* p. 105 n. 32[1], *b. h.* IV, p. 271 n. 12, VIII, p. 354. 55. 17. 32) et in Rhodiis occurrens (cf. *C. I. G.* 2538, 2539; *Rev. arch.* 1866 II, p. 328 n. 43, *b. h.* V, p. 335 n. 10; *Br. Mus.* n. 344, C. 21 (p. 117), non tam totius insulae cives complecti apparet, id quod multi homines docti censuerunt (cf. *Beaudouin, b. h.* VIII, p. 357; *Gilbert, Handbuch,* p. 214 adn. 2), quam significare demum, appellatum eadem ratione et sensu, quo in insula Rhodo demos Λινδοπολιτῶν, Πολιτῶν, Νεοπολιτῶν, Παλαιοπολιτῶν invenimus (*Br. Mus.* p. 120, ubi adde Παλαιοπολιτῶν cf. *Rev. arch.* 1866 I, p. 361 n. 34; *M. a. A.* IX, p. 385 n. 2, 386 n. 7).

ethnicis falso cogitari. Immo vel unum alterumve Cariae proximorumque finium oppidulum in illis esse agnoscendum existimo, quod adhuc omnium sententia Rhodo attribuitur. Atque paucis exemplis hoc probare liceat.

Rossius in libro suo *Hell.* p. 107 n. 35 a—c duobus novis titulis adiutus demoticum Ἅμιος in inscriptione *C. I. G.* n. 2547 restituit novum Rhodium demum Ἅμα deprehendisse sibi visus. Neque de lectione errasse virum doctum inscriptione sequente anno (1847) a Franzio in annalibus instituti Romani p. 107, n. 12 evulgata docemur (Ἀγέστρατος Τιμαγόρα Ἅμιος). Verum fugisse eum patet Stephani Byzantii locus s. v. Ἄμος, πόλις Καρίας ὡς Ἀλέξανδρος (sc. Polyhistor) ἐν τῷ περὶ Καρίας δευτέρῳ, τὸ ἐθνικὸν Ἄμιος ὡς Σάμιος, Καύνιος, quibus verbis Amum re vera in Caria fuisse probatur. Simul patria Nicostrati sophistae, cuius in titulo *C. I. G.* 2547 mentio fit, innotuit.

Deinde in catalogo hominum, nescio cuius συνόδου sociorum, *Br. Mus.* n. 344, quem Newtonius in addendis recte medio fere primo p. Ch. n. saeculo insculptum esse cognovit, in columna b_{62} Aristippus Aristippi filius apposito ignoto ethnico By... ($\overset{\text{v}}{\text{B}}$) recensetur. Iam cum plures illius tituli homines ex Caria oriundos esse constet, Cariae autem urbs Stephano aliis multis testibus fuerit Βύβασσος, et Βυβάσσιοι in Rhodiis titulis sepulcralibus inveniantur (cf. *b. h.* IX. p. 119 n. 20), nescio an compendium illud $\overset{\text{v}}{\text{B}}$ Βυ[βάσσιος] sit exaudiendum.

Contra magis dubitanter iudicaverim de compendiis ethnicorum in eadem inscriptione adhibitis (C. 43) Ἑρμ. et Φαγα (C. 34. 35). Columna autem C. 43 Newtonius legit Αἰ. Βουσκίδιος Δημήτριος Ἑρμ. Iam cum in voce Δημήτριος genetivus paterni nominis latere debeat, Newtonius ignoro utrum lapicidae errorem admiserit — nihil enim adnotavit — an genetivum a nominativo Δημῆτρις derivatum sibi finxerit. Quod utut est, mihi neutrum placet. Probabilius enim mihi legi videtur Αἰ. Βουσκίδιος Δημητρίο[υ] Σερμ. Haberemus tum fortasse idem ethnicon Σερμεύς, quod in tabulis Atheniensium sociorum saepius redit (cf. *Köhler, Abh. d. Berl. Akad.* 1869, pag. 180 s. v. Σ). Quae tamen divinatio nimis incerta visa mihi esset, ideo maxime, quod Σερμεῖς in Thracorum tributorum tabulis enumerantur, pleraque autem nomina in illo catalogo enumerata ad meridianam Asiae et in-

sularum partem spectant, nisi alterum quod commmoravi ethnicon Φαγα in eandem regionem nos delegaret. Vix enim aliud subesse nomen quam Φηγήτιοι in Thraci quoque tributi catalogis exhibitum putaverim (cf. *Köhler, Abh. d. Berl. Akad.* 1869, p. 183 s. v. Φ).

Pauca denique de ethnico Κεράμιος adnotem, quod ad notum illud Cariae oppidum pertinere procul est dubio (*Rev. arch.* 1866, I. 357). Meinekius enim ad Stephanum Byzantium s. v. Αἴγιναι monuit totam disputationem institutam ab illo scriptore de ethnicis in —ητης exeuntibus mirifice esse perturbatam. Quid quidem de vocabulo Μαλειήτης censendum sit, huc non pertinet; sed cum etiam Κεραμιήτης falso loco esse prolatum putet, errare mihi videtur vir ille doctus. Nam aeque ac formam Κεραμιήτης Mylasensi titulo *b. h.* V. p. 96 et Strabonis loco 14, p. 660 confirmatam scripturam Κεραμήτης in usu fuisse, testatur titulus Cous in *Tr. o. the r. soc.* X. p. 126 n. 25 editus ἡ Κεραμητῶν πόλις, quem recte transcriptum esse etiam nummi comprobant. Quo patet Stephani illo loco Κεραμήτης esse scribendum.

Postquam vero duobus exemplis vidimus adhibitis iis ethnicis, quae in tabulis tributorum leguntur, ethnica vel demotica in Rhodiis lapidibus tradita explicari posse, iam demonstrabo etiam contrarium fieri, ut illarum tabularum nomina ex Rhodiis inscriptionibus lumen accipiant. In tabula tributorum ad Olymp. 88, 4 pertinente invenitur nomen Πλαδ..., quod Köhlerus *Abh. d. Berl. Akad.* 1869 p. 192, Stephani Byzantii adnotatione ad verbum Πήγασα collata (δεῖ δὲ οὐ διὰ τοῦ δ γράφειν Πήδασα, ἀλλὰ διὰ τοῦ γ Πήγασα· ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Πήδασος etc.) in Πλαδ[αρῆς] supplevit, eundem populum esse ratus, qui in tributorum laterculis ter nominatur Πλαγαρῆς. Verum cum Stephani locus ad explicandam formam Πλαδ.. pro Πλαγ.. vix aptum suppeditet argumentum neque videas cur modo in laterculis Πλαγαρῆς modo Πλαδαρῆς incisum fuerit, denique autem Πλαγαρῆς non cum iis populis, quibuscum Πλαδ.. in fragmento apud Köhlerum p. 72, comprehendi soleant, multo propius ad veritatem accedere mihi videor, ethnicon, quod in Chalcensi titulo apud Rossium *In. in.* n. 292 legitur Πλαδασεύς, etiam in illo laterculo exscriptum fuisse statuens.

Quod ad magnitudinem singulorum Rhodiorum pagorum

attinet, de ea re cum numero inscriptionum eos memorantium tum argumento eorum edocemur. Veluti in titulo *Rev. arch.* 1867 I. p. 204 = *Br. Mus.* 357 evulgato, in quo homines ex singulis demis ad munus quoddam administrandum creati recensentur, e numero virorum, qui cuique pago est concessus, de ipsorum pagorum amplitudine vel felicitate aliquid efficere possumus. Quae ratiocinatio cum per se sit consentanea, eo probatur, quod Clasiorum et Lindopolitarum pagos, e quibus plurimi homines sunt electi, re vera fuisse amplissimos titulus eodem tempore incisus *M. a. Ö.* 1883 p. 137 = *b. h.* IX. p. 85 (cf. p. 97) docet [1]. In hoc enim catalogo, in quo homines, qui ad ornatum vasaque Athenae Lindiae reparanda pecuniam contulerunt, ita enumerantur, ut qui ex eodem pago sunt, sese excipiant, Lindopolitae et Clasii ceteros omnes numero superant.

Haec sunt, quae de Rhodiis pagis adnotare iuverit.

Nunc vero primo loco de sola Camirensium civitate agamus.

β) κτοῖναι. Altera Camirensium distributio facta erat per ctoinas. Legimus enim in inscriptione quadam Camiri effossa (*Tr. o. the r. soc.* XI. p. 436, *Br. Mus.* n. 351), quam Newtonius inter annum 407 et Alexandri aevum incisam esse arbitratur: τὰς κτοίνας τὰς Καμιρέων τὰς ἐν τᾷ νάσῳ καὶ τὰς ἐν τᾷ ἀπείρῳ ἀναγράψαι πάσας . . . . χωρὶς Χάλκης, ἐξῆμειν δὲ καὶ Χαλκήταις ἀναγραφῆμειν ἅι κα χρηΐζονται . . . ἐγ δὲ ταυτᾶν τᾶν κτοινᾶν ἀποδεικνύειν τοὺς κτοινάτας μάστρον ἐν τῷ ἱερῷ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐν τᾷ κτοίνᾳ κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων. In alio autem titulo prope Camirum invento et a Martha tertio a. Ch. saeculo tributo (*b. h.* IV. p. 139 v. 10) occurrunt verba καὶ ἄλλον τόπον ἐν τᾷ κτοίνᾳ, quae verba nescio an ad Ῥογκ[ί]ῳ [2]) antea memoratum respiciant. Quibus titulis nuperrime tertius accessit prope hodiernum vicum Sianam in occidentali insulae parte repertus, quam ad Camirensem agrum pertinuisse

---

[1]) Fortasse etiam ea re horum lapidum cognoscitur tempus, quod Aristomachus Alexarchi filius Lindius, qui in inscriptione *Br. Mus.* n. 357, v. 26 commemoratur, idem esse videtur, qui in titulo *M. a. Ö.* 1883, p. 136 n. 72 latet Ἀ]ριστόμαχος Ἀλεξά[ρχου, Lindiorum sacerdotio functus.

[2]) Ῥογκ[ί]ῳ enim non Ῥογκ[ύ]ῳ, quod Martha voluit, supplendum esse docet titulus *M. a. Ö.* 1883, p. 116 . . . Ῥογκίδα. Contra Ῥυγχίδας *Br. Mus.* n. 359 exhibitum non cum Newtonio idem demoticum intellegam. De compendio autem *Br. Mus.* 344, C. 17. 51. 55. 58 adhibito $\overset{o}{\mathrm{P}}$ P°P₀ nihil pro certo affirmari potest.

pluribus inscriptionibus constat. Evulgatus autem est *b. h.* IX. p. 114 et haec praebet verba: ἐπειδὴ Δ . . . χρείαν παρείχετο τοῖς κτοινάταις . . καὶ ἐπεμελεῖτο ὅπως αἵ τε θυσίαι συντελῶνται . . . . . αἱρεθείς τε ἐπὶ τὰ [ἱερὰ . .] καλῶς καὶ φρονίμως συνετέλ[εσεν . . . . δεδόχθαι] ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι Δ . . . . στεφάνῳ ἐν τῷ ἔπειτα συλλόγῳ . . . . Denique etiam lapis Carpathius, cum hanc insulam diu ipsius Rhodiae civitatis partem effecisse supra demonstraverimus, ad illustrandam illam divisionem adhiberi potest. Quam inscriptionem edidit Beaudouin *b. h.* VIII. p. 354, fine tertii aut initio secundi saeculi sculptam eam esse ratus[1]): ὅπως οὖν καὶ ἁ κτοίνα ἁ Ποτιδαιέων φαίνηται εὐχάριστος οὖσα· δεδόχθαι τᾷ κτοίνᾳ ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι χρυσέῳ στεφάνῳ ἀπὸ χρυσῶν δέκα Παμφιλίδαν . . . ἀρετᾶς ἕνεκα . . . ἂν ἔχων διατελεῖ εἰς τὰν κτοίναν τὰν Ποτιδαιέων, καλέσαι δὲ αὐτὸν καὶ ἐπὶ ξένια εἰς τὸ ἱεροθυτεῖον . . . ὅ[π]ως δὲ καὶ στᾶλαι . . . ἀνατεθῶντι, μία μὲν ἐμ Πορθμῷ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ποσειδᾶνος, μία δὲ ἐν Ποτιδαίῳ ἐν τῷ ἱερῷ τᾶς Ἀθάνας τᾶς Λινδίας δότω ὁ ταμίας τὸ γενόμενον τέλεσμα . . . ἑλέσθαι δὲ καὶ ἄνδρα, ὁ δὲ αἱρεθεὶς ποιησάσθω τὰν ἄιτησιν τοῦ στεφάνου . . . ἐν τῷ σύμπαντι δάμῳ.

Quibus de ctoinis iam permultum ab hominibus doctis disputatum est[2]). Fere omnes autem ab Hesychii interpretatione profecti κτύναι ἢ κτοῖναι χωρήσεις προγονικῶν ἱερειων ἢ δῆμος μεμερισμένος neque ἱερειῶν neque ἱερείων sententiae satisfacere consentiunt. Itaque Beaudouinius Pollucis loci III. 10 ratione habita (καὶ ἱερὰ πατρῷα καὶ πάτρια καὶ πατρικὰ καὶ προγονικά) suo iure ἱερῶν pro ἱερειων mutasse mihi videtur. Cui coniecturae nescio an album calculum adiciant verba, quae in primo, quem protulimus, titulo leguntur: ἐγ δὲ ταυτᾶν τᾶν κτοινᾶν ἀποδεικνύειν τοὺς

---

[1]) Θεμιστόλας Τελεσάνδρου Καρπαθιοπολίτας etiam in catalogo hominum *b. h.* IV, p. 267 col. I recensetur. Verum ne eius quidem tituli tempus, quamquam nonnulla nomina in eo perhibita alias inveniuntur, accuratius definire possumus.

[2]) Newton, Tr. o. the r. soc. XI, p. 436; Br. Mus. n. 351.
Martha, b. h. IV, p. 143 sq.
Beaudouin, b. h. VIII, p. 355 sq.
Bottermund, comm. de re. publ. Rh., p. 15.
Holleaux-Diehl, b. h. IX, p. 114 sq.
Gilbert, Handbuch II, p. 181.
(Curtius, Grundzüge d. griech. Etymologie[5], p. 698 adn. 1.)

κτοινάτας μάστρον ἐν τῷ ἱερῷ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐν τᾷ κτοίνᾳ.. Optime autem cum Hesychii interpretatione ea, quae ex illis lapidibus efficiuntur, quadrant. Constat igitur illas ctoinas repraesentasse non solum terrae aliquam discriptionem, sed civium simul quasdam societates communibus antiquis sacris coniunctas. Iam plerique homines cogitabant de paroeciis, in quas veteres pagi pro magnitudine fuerint discripti.

Alia est Beaudouinii et Gilberti sententia. Ac Beaudouinius quidem *b. h.* VIII. p. 356 haec adnotat: «la κτοίνα serait alors une sorte de colonie religieuse ayant le même culte que la cité, culte transmis par les ancêtres ... Les mots δῆμος μεμερισμένος seraient en même temps expliqués en ce sens que la κτοίνα désignerait un groupe de citoyens se détachant de la cité, transportant ailleurs le culte des ancêtres et restant toujours avec la cité en relations religieuses». At unum, ut multa alia, quae Beaudouinii opinioni adversantur argumenta mittam, prorsus impedit, quominus ei explicationi astipulemur. Nam cum κατὰ κτοίνας creatos esse sciamus mastros illos, quos senatorio munere fungentes non solum ipsarum urbium Camiri, Lindi, Ialysi, sed etiam pagorum, qui ad illas pertinebant, res administrasse constat ideoque ab omnibus civibus et urbium et pagorum genere haut imparibus creatos esse per se pateat, necessario efficitur eas ctoinas non seiunctarum quoddam coloniarum fuisse genus, sed divisionem omnium civium gradu parium sive in oppidis sive in pagis habitabant praestitisse. Gilbertus autem in libro suo p. 181 nullis argumentis prolatis vocabulo κτοίνα ipsos illos pagos significari censuit. Et sunt, quae eam sententiam commendare videantur. Nam cum in inscriptione *b. h.* IV. p. 139, quam paulo ante exscripsimus, verba καὶ ἄλλον τόπον ἐν τᾷ κτοίνᾳ ad vocem Ῥόγκ[ι]ον respicere consentaneum sit, demoticum Ῥογκίδας autem unum illorum pagorum significare p. 12 viderimus, revera ctoinae nomine illos pagos esse appellatos putaveris. Accedit, quod unum illud ctoinae nomen (ἁ κτοίνα ἁ Ποτιδαιέων) in Carpathi titulo traditum simul oppiduli in insula siti fuisse constat (Ποτιδαῖον *b. h.* VIII p. 354_{19}, cf. *Rev. arch.* 1863, II p. 487, *b. h.* IV p. 274 adn. 2, VIII p. 358)[1]. Verum tamen utrumque ar-

[1]) cf. vocem κατοικία in inscriptionibus Magnesiae saepius adhibitam (veluti b. h. IX, p. 395).

gumentum minime certum esse contenderim. Nam ut in priore titulo verba ἐν τᾷ κτοίνᾳ ad Ῥόγκ[ι]ον spectare non prorsus necessarium est, ita facile fieri potest — id quod per se aliquid habet probabilitatis —, ut ctoinae interdum eadem nomina atque pagi habuerint. Immo permulta eaque gravissima sunt momenta, quae illi sententiae officiunt. Nam licet consentiat ea explicatio cum altera Hesychii interpretamenti parte, attamen discrepat cum priore. Atqui vel maxime in rebus sacris colendis ctoinarum studium esse versatum cum alii tituli tum qui *b. h.* IX, p. 114 editus est, ostendunt.

Alia ratio, quae in Gilberti sententiam nos ire vetat, ex titulo *b. h.* VIII. p. 354 (infra transcripto) repeti potest. Etenim si ἁ κτοίνα ἁ Ποτιδαιέων demum significaret, Themistolas non Καρπαθιοπολίτας, sed demotico suo Ποτιδαιεύς nominaretur. Nam eum non fuisse huius ipsius ctoinae socium vix cogitari potest. Tertium quoque proferemus argumentum Gilberti opinioni obstans, ubi perlustratis singularum urbium institutis in universum de earum forma ac ratione cum communi capite constituta verba faciemus. Tum etiam, quid ipsi de ctoinis sentiamus, exponemus.

Certae cuiusdam gentiliciae distributionis documentum praebet titulus Camirensis *Br. Mus.* n. 352, in quo complures πάτραι ad maiores quasdam classes pertinentes enumerantur. Magnopere autem est dolendum, quod neque numerus earum, cum lapis permutilus sit, cognosci potest neque classium, quibus illae continebantur, appellatio est apposita. Amplissimae autem discribendi rationis indicium in columnis a_{19} et b_{11} exstat. Nam vocabulum Ἀλθαιμενίδος a_{19} non lapicidae errore pro Ἀλθαιμενίδαι esse incisum, et maioribus litterarum formis et praescriptionis specie probatur. Quamquam autem Newtonius nomen Ἀλθαιμενίς ab Althaemene quodam Cretensi, cui Diodorus V 59 Rhodios impertivisse heroicos honores narrat, derivatum esse perspexit, tamen eum locus Stephani Byzantii fugit, qui non minus huc pertinere mihi videtur. Stephanus enim Byzantius s. v. Κρητινία haec ex Apollodoro hausta praebet: τόπος Ῥόδου, ἐν ᾧ ᾤκουν οἱ περὶ Ἀλθαιμένην, ὅς χρησθεὶς ὅτι τὸν πατέρα ἀποκτενεῖ, ἔφυγε, καὶ νυκτὶ πλοίῳ συναντᾷ ἐν Ῥόδῳ καὶ ὡς λῃστὰς νομίσας ἀναιρεῖ τὸν πατέρα· εἰσὶ δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ τὰ Ἀταβύρια ὄρη, ἀφ' ὧν Ζεὺς Ἀταβύριος.

γ) πάτραι.

Quibus ex verbis Althaemenem prope Camirum in loco quodam, qui Cretinia nominabatur, cum caterva sua ex Creta profecta consedisse audimus. Iam cum in titulo Camirensi, quem modo laudavimus, sub Ἀλθαιμενίδος classe duae patrae Κρητινάδαι enumerentur (a_{29}, b_{29}), nonne nostro iure affirmare possumus, nomen earum gentium artissime cum illius loci significatione cohaerere? Non has gentes tamquam progeniem illorum Cretensium, qui cum Althaemene Cretiniam condiderant, eo nomine fuisse praeditas statuamus est necesse? Luculenter igitur illa narratio, quae colonos e Creta Rhodum profectos praecipue Camirum frequentasse perhibet, ex ipsorum Camirensium opinione stabilitur[1].

Fortasse etiam Ἰφικλίδαι, qui b 20 commemorantur, originem ab Iphicle heroë duxerunt. Quamquam enim Iphicles maxime in Ialysiorum narrationibus celebrabatur (cf. Ergiam apud Athenaeum VIII. p. 360 E), tamen Beckerus p. 129 disputatiunculae suae haut iniuria e Dictyos Cretensis verbis (IV. 4) similem quandam fabulam in Camirensium ore fuisse conclusit. Itaque nescio an inscriptione nostra Beckeri sententia confirmetur, qui Camirum urbem ab auctore illo non arbitrio additam, sed ex ipsa Rhodiorum memoria repetitam esse putat. Num autem Δωριάδαι, Θοάδαι, aliae gentes in illo laterculo exaratae a Dorieo, Thoa aliis quibusdam Rhodiis, quorum laus a scriptoribus traditur, nomina duxerint, diiudicare non ausim. Ceterum adnotare iuvat etiam alio titulo illustrari Rhodiorum illum morem, quo heroas suos maximis honoribus afficere solebant, saepius a scriptoribus elatum. In Mnemosyna enim I. p. 78 = Cauer delectus n. 181 legitur: ἔδοξε τῷ δάμῳ ἀγαθᾷ τύχᾳ, εὔξασθαι μὲν τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἱεροθύτας τῷ Ἁλίῳ καὶ τᾷ Ῥόδᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις καὶ τοῖς ἀρχαγέταις καὶ τοῖς ἥρωσιν ὅσοι ἔχοντι τὰν πόλιν καὶ τὰν χώραν τὰν Ῥοδίων.

Iam quaenam civium Camirensi societate cohibitorum iura quique magistratus fuerint ostendamus.

δ) populi contio et senatus.

Primo autem loco titulus *Br. Mus.* n. 351 editus, quem supra

---

[1]) In exarando nomine codex M. praebet Κρητινία, R. Κρητηνία, AV. Κρητηνία. Itaque Meinekius suo iure codicis M. lectionem secutus est, cum Beckerus in opusculo de Rhodiorum primordiis conscripto (comment. Ienenses II, p. 122) iniuria Κρητηνία revocet.

p. 12 proposuimus, tractandus videtur (ἔδοξε Καμιρεῦσι τὰς κτοίνας τὰς Καμιρέων τὰς ἐν τᾷ νάσῳ καὶ τὰς ἐν τᾷ ἀπείρῳ ἀναγράψαι πάσας .... κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων ... etc.). Hoc igitur decreto populus Camirensis omnibus iis, qui Camirensium ctoinis continentur, de mastrorum electione κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων praescribit ipsosque mastros de officiis suis docet. Quo in titulo plura notabilia mihi videntur. Primum enim memoratu est dignum, quod in eo decreto uno et solo non modo e Camirensis civitatis, sed etiam reliquarum duarum urbium plebiscitis mastrorum mentione omissa legitur ἔδοξε Καμιρεῦσι. Deinde autem satis magni momenti esse puto, quod tum primum Camirensium ctoinae in stela perscriptae esse videntur. Denique vero accurata illa de mastrorum electione officiisque praecepta non explicari possunt, nisi aut eum magistratum iam antea in munere fuisse negas aut eo tempore aliquid de mastris esse immutatum ponis. Quibus argumentis adductus facere non possum, quin qua aetate illud decretum Camirensi populo placeret, ea aut primum mastros creatos — id quod pluribus de causis minus est probabile — aut aliquam immutationem de eorum munere factam esse censeam. Iam cum Newtonius ex verbis κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων et litterarum formis concludens titulum inter annum 407 et Alexandri tempus incisum esse coniecerit, non veri dissimile mihi videtur, populiscitum illud eo tempore esse confectum, quo Rhodii et quae uniuscuiusque veterum oppidorum ratio cum ipso capite esset et quo modo eorum respublicae administrarentur, constituerunt. Nequaquam tamen cum Bottermundio (p. 15) inde efficere possumus civitatis illam divisionem in κτοίνας demum post conditam novam urbem esse institutam. Immo ex ipso illo decreto liquido apparet ctoinas illas dudum fuisse, etiamsi tum denique perscribebantur. Καμιρεῖς.

In ceteris Camirensis civitatis decretis semper — id quod modo monui — senatus (μάστρων) mentio est adiecta. De quo cum Newtonius *Br. Mus.* p. 126 satis accurate disseruerit, paucis, quae ex inscriptionibus de eius officiis efficiuntur, complectar. Occurrunt igitur Camirenses mastri in hisce titulis: *Br. Mus.* 351, *j. of h. st.* IV p. 136, *Br. Mus.* n. 353. Ex quibus elucet eos electos esse κατὰ κτοίνας κατὰ τὸν νόμον τὸν Ῥοδίων, consedisse Camiri cum hieropoeis in templo Athenae, publica μάστροι.

sacra rite faciunda curavisse, decrevisse una cum populo honores, habuisse scribam, hominem primarium.

ε) magistratus. δαμιουργοί. Summus autem Camirensis civitatis magistratus unus aut plures videntur fuisse δαμιουργοί. Nam in titulo *j. of h. st.* IV p. 136 (= *M. a. Ö* 1883 p. 134 n. 66) nomen damiurgi alicui Camirensium decreto praescriptum invenimus. Praeterea in inscriptionibus *Rev. arch.* 1866 II p. 337 n. 59[1]), *Br. Mus.* n. 353 editis eius mentio fit. In altero enim hoc titulo (Br. Mus. n. 353 6) etsi Newtonius ἱεροθυτή[σ]αντος explevit, δαμιουργή[σ]αντος legendum esse existimo. Nulla enim inscriptio ἱεροθύτας in Camirensi societate fuisse ostendit, et qui omnes Camirenses magistratus enumerare videtur catalogus *b. h.* V p. 336 provulgatus, ἱεροθύτας non exhibet. Quo in laterculo primo loco

sacerdotes. δαμιουργός recensetur, sequuntur duodecim ἱεροποιοί, tertio loco ὁ ἀρχιαρίστας enumeratur, excipiunt eum sex ἱερεῖς et unus ἀγωνοθέτα. Itaque cum Camiri hieropoeos summo sacerdotio functos esse appareat, id quod insuper titulo *Br. Mus.* n. 351 confirmatur, quoniam una cum mastris in templum Athenae conveniebant, in titulo illo a Newtonio proposito ante hieropoeos nemo nisi δαμιουργός relatus esse potest. Quaenam autem singula eius fuerint munera, de ea re hodie nihil scimus[2]). Hieropoei, id quod ex *Br. Mus.* n. 353 efficimus, interdum sacrorum perficiendorum causa ad externa mittebantur delubra, veluti ad Didymaeum, ad Lemnum insulam. Porro, qui in titulo illo, quem modo tractavimus, tertio loco nominatur ἀρχιαρίστας, idem esse videtur, qui *Br. Mus.* n. 353 v. 7 ἐξιεριστεύσας significatur. De flaminibus autem singulorum deorum sacerdotiis praepositis et Camiri et reliquorum duorum oppidorum tam multa ex inscriptionibus et veterum auctorum testimoniis colligi possunt,

---

1) Ἀριστομνοτίδας Ναυσίππου δαμιουργήσας Ἑστίᾳ καὶ Διὶ Τελείῳ.

2) quod vero Kuhnius in libro suo «Ueber die Entstehung der Städte der Alten», p. 219 adn. 56 de damiurgo contendit eum potius Rhodi urbis fuisse magistratum, cum ipsis titulis, quos enumeravi, refellatur, eam opinionem non est cur diserte reiciam. Rectissime autem Holleaux et Diehl *b. h.* IX, p. 111 adn. 2 de eius sententia, ex qua Camirum et Ialysum oppida imperatorum aetate prorsus fuisse minuta opinetur, adnotant «M. Kuhn a tenu trop de compte de ces assertions (sc. scriptorum) et trop peu des documents épigraphiques».

ut propria de iis commentatione opus sit. Qua de causa ipse ea de re disputare desisto.

Alius Camirensium magistratus ταμίας fuit, quem inscriptio *Br. Mus.* n. 351 stelis conficiendis pecuniam praebuisse docet (τὰ δὲ τελεύμενα ἐς ταῦτα πάντα τὸν ταμίαν παρέχειν). Neque desunt curatores publicis quibusdam negotiis praepositi. Verum iam tituli nos deficiunt. Nam magistratus, qui in inscriptione a Rossio *In. in.* n. 276 edita enumerantur, non ad Camirensium commune pertinere infra videbimus. ταμίαι.

Quae iam de Camirensi civitate ex inscriptionibus effeci, quamquam non sunt multa, tamen id satis dilucide demonstrant illud commune non sui fuisse iuris. Nam ad sacra tantum non solum omnium fere magistratuum nomina spectant, sed ne populi quidem decreta aliud quidquam complectuntur, nisi res sacras honoresque assignandos. Quae quidem est causa, cur nunquam in inscriptionibus occurrit formula ὁ δᾶμος ὁ Καμιρέων, sed semper Καμιρεῖς.

Ialysus.

Multo etiam limatior est Ialysiorum civitatis cognitio. Luculentus tamen titulus in corpore musei Britannici n. 349 divulgatus exstat: ἔδοξε τοῖς μάστροις καὶ Ἰαλυσίοις· Στράτης Ἀλκιμέδοντος εἶπε· ὅπως τὸ ἱερὸν καὶ τὸ τέμενος τᾶς Ἀλεκτρώνας..... ἐπιμεληθήμειν τοὺς ἱεροταμίας, ὅπως στᾶλαι ἐργασθέωντι τρεῖς.... θέμειν δὲ τὰς στάλας... μίαν δὲ ὑπὲρ τὸ ἱστιατήριον... ποταγγελλέτω δὲ τὸν τούτων τι ποιεῦντα ὁ χρῄζων ἐς τοὺς μάστρους. Unde accipimus etiam in Ialyso urbe mastros maxime sacris curandis fuisse constitutos populique contionem de illa re esse factam. Ex verbis autem μίαν δὲ ὑπὲρ τὸ ἱστιατήριον ut in plurimis Graeciae urbibus, sic etiam Ialysi civibus de republica bene meritis publice cotidianum victum esse praebitum efficere possumus. Quae restant Ialysensis populi decreta, omnia de honoribus agunt (*b. h.* II p. 616 n. 2, *Ross. Hell.* p. 99 n. 23_{21}). Ex magistratibus vero civitatis solos ἱεροταμίας et ἱερεῖς (flaminem Athenae Ialysensis ex inscriptione *Rev. arch.* 1867 II p. 31 n. $71_{5.10}$ prolata) cognoscimus. Quorum nomina ipsa iam indicant officia. Ceterum hierotamiarum fuisse stelis conficiendis consulere ex b) Ialysus.

titulo supra laudato apparet. Quae quamvis pauca sint, tamen quod de Camirensis civitatis forma in universum diximus, id etiam ad Ialysiorum societatem referri posse ostendunt.

Lindus.

c) Lindus. α) pagi (δᾶμοι). Iam transeuntes ad Lindiorum civitatem tractandam, de qua longe plurimae exstant inscriptiones, item primum de diversis populi discribendi rationibus agemus.

Supra p. 7 sqq. Lindios quoque secundum domicilii sacrorumque communionem in pagos fuisse distributos commemoravimus. Eorum pagorum unum Lindopolitas effecisse permultis titulis constat, quos in inscriptione *Br. Mus.* n. 345 (= *Rev. arch.* 1866 I p. 152 n. 6) invenimus nominatim laudatos: Εὐαλκίδας Ἀριστολόχου κατὰ υἱοθεσίαν δὲ Αἰνέα, ἐπαινεθεὶς καὶ στεφανωθεὶς ὑπὸ τοῦ δάμου τοῦ Λινδοπολιτᾶν χρυσέῳ στεφάνῳ πρᾶτος καὶ ὑπὸ τᾶς πάτρας τᾶς Δρυιτᾶν χρυσέῳ στεφάνῳ. Θεοῖς. ἐπὶ ἱερέως Ἀντιλόχου. Iam cum certissimum sit, ut Camirensium, sic etiam Lindiorum Ialysiorumque societatem nunquam in inscriptionibus δᾶμον vocari (cf. Bottermund p. 19 sq., Kuhn, «Entstehung der Städte der Alten» p. 213 sq.), apparet ne de parte quidem illorum communium vocabulum ὁ δᾶμος eam in sententiam accipi posse, ut civitatis notionem habeat. Summum enim rerum regimen erat penes Rhodios, qui erant ὁ δᾶμος (quod dicunt) κατ' ἐξοχήν. Itaque statuendum mihi videtur vocem ὁ δᾶμος ὁ Λινδοπολιτᾶν de demorum tantum significatione apud Atticos usitata esse percipiendam, id quod Bottermundius p. 20 optime etiam ex eo, quod τῷ δάμῳ τῷ Λινδοπολιτᾶν opposita est ἁ πάτρα ἁ Δρυιτᾶν intellexit. Iniuria tamen idem inscriptionem *j. of h. st.* II p. 356[1]), ut argumentationem, quam proposuimus, fulciret, adhibuisse mihi videtur. Quamquam enim Newtonius, quem homo ille doctus est secutus, verba huius tituli ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ ad Lindiorum civitatem referri non posse suo iure contendit, tamen vox δᾶμος cum βουλᾷ coniuncta de pagi significatione — id quod Newtonius voluit — accipi nequit. Nam etsi non dubito, quin singuli pagi quasdam communis sui res ipsi admini-

---

[1]) .... Ἐπὶ ἱερέως Ἀγεστράτου Καρνείου ἑβδόμᾳ ἐξ ἰκά[δ]ος, ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ, Εὐφράνωρ Δαρδάνου Ν[ετ]τίδας εἶπε, δεδόσθαι Εὐφράνορι Δαρδάν[ου] Νεττίδᾳ καὶ Εὐθαλιδᾶν τῷ κοινῷ ἐπ[αι]νέσαι etc.

straverint — nihil enim de hisce rebus adhuc ex inscriptionibus compertum habemus —, tamen iis, quae de ratione inter veteres urbes et pagos intercedente scimus, commotus non tantam libertatem illis concessam fuisse censeo. Accedit quod formulae gravitas ἐπὶ ἱερέως Ἀγεστράτου Καρνείου ἑβδόμᾳ ἐξ ἱκάδος, ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ neutiquam ad demotarum decretum est accommodata. Denique si a demo Nettiensi illum honorem sancitum esse sumimus, non apparet, cur totiens in illo titulo Νεττίδας et ἐν Νεττείᾳ sit elatum. Immo haec argumenta reputanti mihi verba ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ necessario ad Rhodi senatum comitiaque referenda videntur. Nam cum constet in Rhodo insula κοινοῖς illis multo minus potestatis concessum fuisse quam in ceteris Graecis urbibus (cf. *Newton j. of h. st.* II p. 360), quidni confirmationem illius Euthalidarum decreti a totius populi sententia aptam putemus? Itaque ad quaestionem de pagorum appellatione propositam ad id temporis in titulo priore loco prolato consistere debemus. Contra nescio, an ex Hesychii interpretatione vocabuli κτοίνα (χωρήσεις προγονικῶν ἱερ[ει]ῶν ἢ δῆμος μεμερισμένος) novum argumentum repeti possit. Quamquam enim ab Hesychio non additum est illam explanationem ad ipsam Rhodiorum civitatem spectare, tamen cum nullo alio loco ctoinae adhuc innotuerint et Hesychius saepissime Rhodiorum institutorum mentionem faciat, ex scriptoribus hauriens, qui de Rhodiis rebus disseruerunt, haut veri dissimile mihi videtur interpretationem illam proprie ad Rhodiorum ctoinas pertinere atque eam pagorum appellationem, quae tum in hac insula erat usitata (δᾶμος), referre.

Quamvis autem mirum primo obtutu videri possit, quod in Dorica insula appellatio apud Atticos trita atque usitata occurrit, tamen ea res non caret explicatione. Nam cum per longa variaque temporum spatia Athenienses summa in Rhodo insula valerent auctoritate, nonne consentaneum apparet, non solum ab illis effectas esse multas in Rhodiorum reipublicae forma commutationes, sed etiam ipsos Rhodios repetiisse quasdam institutiones ab Atheniensium civitate? Veluti libenti animo credas nomina βουλή, ἐκκλησία, alia, de quibus in describendis Rhodiorum rebus publicis disputabimus, ab Attica republica esse derivata. Quae res etiam inde confirmatur, quod vel aliis in

Doricis communibus invenimus instituta, quae praevalidae illius Atheniensium auctoritatis temporibus orta esse facile intellegitur. Veluti vocabulum δᾶμος eodem sensu, quo Attici utebantur, adhibitum etiam in Aegina, Co, Calymna insulis invenitur (cf. Gilbert, Handbuch II. p. 308 adn. 1, ubi tamen tituli minime accurate sunt congesti). Quodsi eadem appellatio etiam in Carpathio lapide occurrit (cf. *Rev. arch.* 1863 II. p. 471_{18} = *Br. Mus.* n. 364[1]), dubitare possumus, utrum Atheniensium auctoritate an Rhodiorum, quos Carpathum in suae civitatis ambitum recepisse vidimus, sit constituta.

β) πάτραι. Verum etiam alteram illam distributionem gentium rationem habentem in Lindiorum civitate usurpatam esse docent tituli *Br. Mus.* n. 345 et *b. h.* IX. p. 110, in quibus patrarum fit mentio.

[γ) κτοῖναι.] Deinde autem ut apud Camirenses — nam in horum solorum finibus adhuc inscriptiones ctoinarum mentionem facientes inventae sunt —, sic etiam apud Lindios et Ialysios ctoinarum discriptionem adhibitam esse hisce argumentis fortasse effici potest. Atque primum quidem ex verbis tituli *Br. Mus.* 351 τὰς κτοίνας τὰς Καμιρέων et κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων etiam reliquas Rhodi urbes ctoinas habuisse probabile videtur. Tunc autem quoniam apud Lindios quoque mastri in munere erant, eos eadem ratione, qua Camirenses, electos esse et per se est consentaneum et verbis κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων commendatur. Denique vero quod et in Carpatho insula ctoinae institutae fuerunt, illam divisionem per ctoinas factam totius Rhodiorum civitatis propriam fuisse conicias. Haec quidem de Lindii populi distribuendi rationibus.

Iam videamus, quomodo Lindiae civitatis res publicae administratae sint.

Atque primum quae senatus populique fuerit potestas indagemus.

δ) Lindii populi contio et senatus. Praeter ceteros titulos praevalet inscriptio *Br. Mus.* n. 357, quam infra p. 24 exscribemus. Qua mastri una cum populo triginta

μάστροι. illis hominibus de Lindiorum civitate optime meritis, qui creati erant, ut una cum epistatis lites diiudicarent (συναγωνίξασθαι ταῖς δίκαις), honores constituunt. Iam Bottermundius hos ipsos

---

[1]) In eodem titulo cives, qui pago continentur, nominantur δαμεταί.

viros superiore anno ante eos mastros, a quibus laudantur, mastrorum munere functos esse existimat. Quae opinio, si certis quibusdam argumentis fulciri posset, novum quoddam de Lindiorum communi afferret lumen. Verum tamen neque Bottermundius ea protulit neque ipse invenio, ut ea re — quamquam facile sic se habeat — quasi fundamento niti non possimus. Praeterea mastri una cum populo impertiunt honores decreto apud Rossium *Arch. Aufs.* II, p. 615 n. 26 (*M. a. Ö.* 1883, p. 130 n. 57?) evulgato. Contra inscriptione a Rossio *In. in.* n. 271 18 prolata soli aliquem hominem honorasse videntur. Denique in titulo apud Rossium *Hell.* p. 115 n. 47 cum populo coniuncti salvo maioris cuiusdam magistratus iure de choregorum et electione et officiis decernunt et flaminem Athenae nomina τῶν κατασχεθέντων ad se deferre iubent. Scribam autem iis additum fuisse et ex hac inscriptione (p. 116 C. 7, 8) et ex altera (*Arch. Aufs.* p. 604 n. 15) compertum habemus. Cuius quanta fuerit dignitas, inde est perspicuum, quod ex altera inscriptione eum antea plurium deorum flaminiis praefuisse cognoscimus.

Quibus tractatis restat, ut de populi potestate testimonia congeramus.

Primum quidem ex titulo musei Britannici n. 357 Lindium populum magistratus suos non nisi ex ipsis Lindiis creasse accipimus. Deinde autem eum una cum mastris homines bene de civitate meritos honoribus exornasse pluribus in decretis modo vidimus. His adiungi possunt tituli *Rev. Arch.* 1867 II, p. 26 n. 68; *Arch. Aufs.* II, p. 610 sqq. n. 20—25, p. 589 n. 1; *Hell.* p. 99 n. 23 16 sqq., in quibus omissa mastrorum mentio eo explicari mihi videtur, quod, cum priores illae inscriptiones honorum decreta ipsa contineant, in his tantum basium subscriptiones exstant, quas concisiores esse non est mirum. Recte autem Kuhnius aliique monuerunt nunquam in titulis legi ὁ δᾶμος ὁ Λινδίων, sed semper Λίνδιοι vel τὸ πλῆθος τὸ Λινδίων. Qua appellatione ipsa significatur non licuisse illis communibus suis ipsorum legibus uti, quae iubent apud populum esse summum regimen et praesidium rerum publicarum cum ad exteras nationes tum ad ipsas urbes pertinentium. Haec condicio luculente etiam inde perspicitur, quod in tot honoribus, quos Lindii decernebant (προεδρία ἐν τοῖς ἀγῶσι, σίτησις ἐν ἱεροθυτείῳ, στε-

τὸ πλῆθος τὸ Λινδίων.

φανηφορία ἐν ταῖς παναγόρεσιν, τᾶν τιμᾶν ἀναγόρευσις εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον cf. *Rev. arch.* 1867 II, p. 26) aditus ad contiones, qui honor in plerisque Graecis urbibus haut vilis erat, non invenitur. Denique huic statui illud quoque est consentaneum, quod Foucartius *Rev. arch.* 1867 II, p. 30 observavit in inscriptionibus Lindiis, quibus feminae honorantur, solum commemorari φιλοδοξίαν εἰς τὸ πλῆθος τὸ Λινδίων, quibus viris honos tribuitur, in iis plerumque adiectum esse εἰς τὸν σύμπαντα δᾶμον. Nonne enim ea res optime inde explanatur, quod virorum merita in rebus publicis posita saepissime ad totam Rhodiorum civitatem pertinebant, feminarum donaria nisi ad id commune, cui impertiebantur, non spectabant? Sed ne in rebus quidem ad ipsius communis administrandi rationem spectantibus Lindios plane suae fuisse potestatis, titulus a Rossio *Hell.* p. 115 n. 47 editus probare mihi videtur, quo legimus ἔδοξε μάστροις καὶ Λινδίοις, ἐπιστατᾶν γνώμα· ἐπειδὴ .... δεδόχθαι Λινδίοις κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος. Ex cuiusnam autem magistratus arbitrio ea sanctio fuerit apta, paulo infra demonstrabimus.

Accedamus nunc ad considerandos magistratus, qui rebus publicis Lindiorum erant praepositi.

ε) magistratus. Summo quidem magistratu ut Camiri damiurgi, prytanes Rhodi, sic Lindi epistatae fungebantur.

ἐπιστάται. Quibus de epistatis gravissimus sane est titulus *Br. Mus.* n. 357 (= Rev. arch. 1867 I. p. 206), qui haec exhibet: ἔδοξε μάστροις καὶ Λινδίοις· ἐπιστατᾶν [γνώμα cf. Ross *Hell.* pag. 115, v. 5]· ἐπειδὴ ἐπιστάται αἱρεθέντες ὑπὸ Λινδίων

Ἀνάξανδρος Πάγωνος Καμόνδιος
Λυσίας Λυσικράτευς Λαδάρμιος
Εὔβουλος Εὐθυμάχου Πάγιος

καὶ τοὶ αἱρεθέντες ἄνδρες συναγωνίξασθαι ταῖς δίκαις — sequuntur triginta nomina — ἄνδρες ἀγαθοὶ ἐγένοντο συνδιαφυλάξαντες Λινδίοις ὅπως ταὶ αἱρέσιες γίνωνται ἐν Λίνδῳ τῶν ἱερέων καὶ ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποιῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπὶ τὰ κοινὰ τασσομένων ἐξ αὐτῶν Λινδίων.... ὅπως δὲ ἁ στάλα τέθῃ ἐς τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀθάνας τοὶ ἐπιστάται ἐπιμεληθέντω τοὶ ἐν ἀρχᾷ ἐόντες.

Quo ex titulo Foucartius assentiente Newtonio cum maxime verba τοὶ ἀεὶ ἐν ἀρχᾷ ἐόντες respiceret, suo iure effecit epistatas fuisse magistratum ordinarium quotannis electum. Iam cum in

tot Lindiis inscriptionibus nullus alius nominetur magistratus, cui summum rerum regimen impertias, procul dubio esse videtur, quin hi epistatae summam Lindiorum communis administrationem curaverint. Deinde autem Bottermundius Foucartium et Newtonium secutus tres epistatas, qui inde a tertio versu nominantur, prioris anni magistratum sustinuisse probavit. Cui sententiae cum non sit, quod iure opponamus, tres epistatas Lindi in munere fuisse est verisimile. Iam cum in catalogo magistratuum apud Rossium *In. in.* 276, quem Foucartius *Rev. arch.* 1866 I. p. 336 adn., p. 337 Camirensem esse contendit, primo loco tres recenseantur epistatae, fuerunt, qui etiam hic tres illos Lindiorum epistatas deprehendisse sibi viderentur. Quod perverse ne sit factum timeo. Quamquam enim exploratum est, illo in titulo non ipsius Camirensium communis magistratus esse perscriptos — hoc enim sumere non solum sacrificulorum numero (quinque cf. supra p. 18 et Doermer, de Graecorum sacrificulis, qui ἱεροποιοί dicuntur p. 15), sed etiam eo, quod desideratur damiurgus, vetamur — tamen et locus, cum lapis inter rudera delubri Apollinis Erethimii sit repertus, et hierothytarum praetermissio et ἱεροφυλάκων mentio illum catalogum Lindi pertinere dissuadent Itaque maxime probabilis mihi est Rossii coniectura, qui illos magistratus ad ipsum Apollinis Erethimii templum rettulit. Contra in duobus aliis marmoribus huius epistatae mentionem fieri crediderim.

Primum quidem occurrit in titulo *M. a. Ö.* 1883, p. 136 n. 71 et *b. h.* IX. p. 112 n. 12 emendatius provulgato, ubi haec legimus: ἱερατεύσας θεοῦ Ἀπόλλωνος Πυθίου καὶ ἀρχιεροθυτήσας καὶ ἱεροθυτήσας καὶ χοραγήσας καὶ ἐπιστάτας γενόμενος Λινδίων.

Deinde autem in decreto *Hell.* p. 115 n. 47 Wachsmuthium suo iure τοὶ ἐπιστάται] τοὶ ἀεὶ ἐν ἀρχᾷ ἐόντες supplevisse pro certo habeo (cf. commentationem meam in museo Rhenano XLI).

Denique monendum est in inscriptione *Rev. arch.* 1867 I. p. 218 n. 61 Foucartium supplevisse αἱρεθεὶς ἐπιστ]άτας ὑπὸ τοῦ δάμου. Sed cum Lindiorum, Camirensium, Ialysiorum populum in titulis nunquam δᾶμον appellari viderimus, illius inscriptionis verba ὑπὸ τοῦ δάμου ad Rhodiorum populum respicere necessarium mihi videtur, ut pro epistata aliquis totius civitatis

magistratus fortasse ταμίας, de quo Foucartius dubitavit, sit supplendus (cf. *Br. Mus.* n. 353). Qua cum argumentatione bene quadrat, quod tempus illius muneris Solis flaminis nomine est circumscriptum. Huius enim dei flaminem Timoclem fuisse inde effici potest, quod Lindiorum decreta aut Solis aut Athenae Lindiae flaminis nomine definiri possunt, verba autem στεφανωθεὶς... ὑπὸ τοῦ ἱερέως τᾶς Ἀθάνας flaminem primo loco nominatum non Athenae fuisse manifesto ostendunt.

Eodem argumento laterculi illius Lindii, qui a Rossio *Arch. Aufs.* II. p. 599 n. 9 est tractatus, verba ἐπιστάται τοὶ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ δάμου· Εὐκράτης Κ[απ]υστράτου Τήλιος, Ζήνων Πράξωνος Χαλκήτας. ad Lindios epistatas referri non posse elucet. Constat igitur, id quod ipsa demotica Τήλιος et Χαλκήτας probant, duos hos epistatas a toto Rhodiorum populo nescio cuius muneris causa Lindum esse missos. Fortasse autem, ubi inscriptionem a Foucartio Rev. arch. 1865 I. p. 300 n. 5 Erythris urbi tributam contuleris (ἑλέσθαι δὲ τὸν δῆμον ἐπιστάτας ἐπὶ τὴν ἔγδοσιν τῆς εἰκόνος ἄνδρας δύο), putes illos quoque esse constitutos, ut statuae collocandae providerent. Tamen cum minus probabile mihi videatur, tales epistatas una cum magistratibus ordinariis in lapide esse exaratos, aliud quod munus extraordinarium intellegendum esse existimem. Nam de ea re, ut Lindiorum epistatas a toto Rhodiorum populo creatos esse statuamus, ideo cogitari nequit, quod verbis ἐπειδὴ ἐπιστάται αἱρεθέντες ὑπὸ Λινδίων (*Br. Mus.* n. 357) confirmatur eos ab ipsis Lindiis esse electos.

Itaque quae adhuc de Lindiorum epistatarum officiis scimus, in eo consistunt, ut eos una cum collegio triginta hominum, ne magistratus Lindii vitio crearentur, cavisse et solos, si res postulabat, ex peregrinorum numero choregos constituisse intellegamus [1]).

In utroque autem plebiscito, quibus de eorum muneribus certiores fimus, epistatae ipsi rogationes ad senatum populumque ferebant (ἔδοξε μάστροις καὶ Λινδίοις, ἐπιστατᾶν γνώμα).

sacerdotes. De ceteris Lindiorum magistratibus gravissimum est testimonium, quod *Br. Mus.* n. 357 v. 39 legimus ὅπως ταὶ αἱρέσιες γίνωνται ἐν Λίνδῳ τῶν ἱερέων καὶ ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποιῶν καὶ τῶν ἄλλων ἐπὶ τὰ κοινὰ τασσομένων ἐξ αὐτῶν Λινδίων καθὰ καὶ ἐν τοῖς νόμοις

---

[1]) de qua re infra paulo accuratius disputabimus.

γέγραπται. Perspicue enim ex his verbis intellegimus Lindios magistratus cum ex ipsis Lindiis tum maxime ad res sacras curandas esse creatos. Deinde autem ex ordine, quo singuli magistratus hic enumerantur, quae cuiusque fuerit dignitas cognoscitur, id quod pluribus aliis titulis confirmatur: *Rev. arch.* 1867 I. p. 218 n. 61, *Ross, Arch. Aufs.* n. 16, *M. a. Ö,* 1883 p. 136 n. 71 (= *b. h.* IX. p. 112 n. 12).

Primum igitur locum οἱ ἱερεῖς occupabant. Verum iis causis, ἱερεῖς.
quas supra protuli, adductus de his exponere supersedeo.

Sequebantur illos, si dignitatis rationem habemus, hierothytae. ἱεροθύται.
Qui quae munera subierint, facile ex honore σίτησις ἐν ἱεροθυτείῳ, quo cives de patria bene meriti Lindi ornabantur (cf. *Rev. arch.* 1867 II. p. 26 n. 68_8, *Ross, Arch. Aufs.* p. 589 n. 1_7, p. 611 n. 21_8, p. 612 n. 22_9) colligimus (cf. *Rev. arch.* 1867 I. p. 214 sqq., *Br. Mus.* p. 134). Curasse igitur videntur sacrificia publica et σίτησιν ἐν ἱεροθυτείῳ et accepisse legatos eosque viros, qui a civitate illo honore erant condonati. Ad quae expedienda cum plures homines exigerentur, quod in titulo apud Rossium *Arch. Aufs.* II. n. 9 quindecim hierothytae eodem tempore officia sustinentes enumerati sunt, non mirum videtur. Iam cum apud Rossium *Arch. Aufs.* II. n. 16, *In. in.* n. 271 A 20 et *M. a. Ö.* 1883 I. p. 136 n. 71_6 (= *b. h.* IX. p. 112 n. 12), n. 72_4, *b. h.* IX. p. 104 n. 8_5 archierothytae mentio fiat et eius nomen a Foucartio *Rev. arch.* 1867 I. p. 218 n. 61 recte suppletum sit, utrum ὁ ἀρχιεροθύτας in titulo apud Rossium *Arch. Aufs.* n. 9 = *Löwy* 195 proposito contineatur illo quindecim hierothytarum numero necne quaeritur.

In prima quidem columna nunc plane detersa, cum tantum minores magistratus maiores aut collegae collegam honorarent, quo hominem illum officium gessisse apparet gravius munere et hierothytarum et ipsius archierothytae — id quod facile etiam inde intellegas, quod duo eius filii eodem anno hierothytae erant — nulli alii nisi ἱερεῖς enumerari potuerunt. Verum etiam ex verbis εὐνοίας καὶ φιλοδοξίας [ἕνεκα] τᾶς εἰς αὐτοὺς hominem illum summo, qui in titulo exarabatur, magistratu non minorem fuisse elucet. Quae cum ita sint, eum Athenae flaminem Lindi sane nobilissimum fuisse putaverim. Quibus simul apparet titulum, quem Foucartius *Rev. arch.* 1867 I. p. 219 n. 62 edidit, illius, de quo agimus, esse simillimum. Cuius in

tituli altera columna cum item quindecim exstent nomina, quae, quoniam flamines antecedunt, hierothytarum fuisse est certum, num casu et fortuito ut iste numerus in lapide servaretur accidisse existimas? Mihi quidem quo tempore duae illae inscriptiones Lindi incidebantur, eo hic certus ac constans hierothytarum numerus fuisse videtur. Iam vero cum in altera hac inscriptione accuratius quam in priore — si ex spatio colligimus — singulorum magistratuum tituli additi essent, etiam hierothytarum dignitatem accuratius definitam fuisse putaverim. Quo circa in altera hac inscriptione τὸν ἀρχιεροθύταν non quindecim illis nominibus comprehensum, sed in superiore inscriptionis parte, quae nunc evanuit, separatim addita dignitate perscriptum fuisse arbitror. Itaque etiam in inscriptione a Rossio provulgata eum in primae columnae fine exaratum fuisse sequitur. Ceterum nescio, an iure quis quindecim hierothytarum numerum cum illo triginta mastrorum (?) arctissime cohaerere contendat. Verum ad id temporis nihil pro certo de ea re affirmari potest.

His titulis hierothytarum mentione instructis adserendae sunt duae inscriptiones, quae apud Rossium *Arch. Aufs.* n. 17 et *M. a. Ö* 1883 p. 136 n. 71_2 inveniuntur. Etiam catalogus *b. h.* IX. p. 107 flamines et hierothytas continet et simillimus est eorum, quos modo tractavimus.

ἱεροποιοί. Quae de hieropoeis homines docti et inprimis Foucartius *Rev. arch.* 1867 I. p. 216 disputaverunt, iis non multa addere possum; paucis igitur eos exigam.

Exhibetur horum sacrificulorum mentio in titulo *Br. Mus.* 357 v. 40, et suppleta est rectissime a Foucartio *Rev. arch.* 1867 I. p. 219 n. 61_8. De numero eorum nihil scimus; nam quod Doermer, de Graecorum sacrificulis qui ἱεροποιοί dicuntur p. 15, quattuordecim fuisse sacrificulos opinatur, cum quattuordecim Lindiorum pagi, qui sint noti, singuli singulos sacrificulos praestiterint, id plane cadit, quoniam nondum exploratum est, quot ex pagis Lindiorum civitas constiterit. Hoc unum addam minus circumscripte flaminum, hierothytarum, hieropoeorum officia quam ex Foucartii adnotatione efficiat quispiam, fuisse definita et disiuncta. Cuius sententiae exstat argumentum in inscriptione foedus Rhodiorum cum Hierapytniis ictum continente:

εὔξασθαι μὲν τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἱεροθύτας τῷ Ἁλίῳ καὶ.... ἐπιτελέων δὲ τᾶν εὐχᾶν γενομενᾶν θυσίαν καὶ πόθοδον ποιήσασθαι et in titulo in insula Co invento (*b. h.* VII. p. 481 n. 4)... ὅ]τε ἱερεὺς καὶ τοὶ ἱεροποιοὶ συντελῶντι τὰς θυσίας κατὰ τὰν ἱερὰν διαγραφάν.

Ex reliquis ἐπὶ τὰ κοινὰ τασσομένοις in inscriptionibus solus ἱεροταμίας commemoratur. Quem honorem satis illustrem fuisse ex titulis *Ross, Arch. Aufs.* II. p. 605 n. 17 (ἱεροταμιεύσαντος καὶ ἱεροθυτήσαντος καὶ χοραγήσαντος) et *Ross, Hell.* p. 99 v. 16 (Ἑρμαγόραν Φαινίππου Κλάσιον.... ἱεροταμιεύσαντα Λινδίων δίς) videmus. Nomen autem huius quaestoris inde explicatur, quod ex verbis tituli *Br. Muss.* n. 357 τὸ δὲ ἀνάλωμα τὸ ἐς τὰν στάλαν καὶ τὰν ἀναγραφὰν ὁ ἱερεὺς τᾶς Ἀθάνας τελεσάτω intellegimus Lindiorum aerarium in Athenae templo fuisse et ab hierotamia ita esse administratum, ut penes flaminem Athenae summa esset agendi potestas. ἱεροταμίαι.

Utrum autem ἁγεμόνες, qui in Lindio titulo *b. h.* IX. p. 107 v. 15 commemorantur, Lindii communis magistratum effecerint, an, ut in titulo *Arch. Aufs.* II. p. 599 ἐπιστάται τοὶ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ δάμου, ad Rhodiorum rempublicam pertinuerint, ad id temporis vix pro certo diiudices.

Quascumque igitur Lindiorum consideravimus inscriptiones, eis ad unam omnibus omnia Lindiorum publica instituta ipsum solum commune maximeque res sacras attingere plane ac perspicue ostenditur.

Quae quidem de Lindiorum civitate.

Caput II.

Iam postquam singulorum veterum insulae oppidorum formas atque res publicas illustravi, neminem esse puto, quin trium illorum communium condicionem tam similem fuisse concedat, ut, si non temere ad rem accedimus, quae de unius illorum rebus publicis in universum edoceamur, ea etiam ad reliquorum instituta adumbranda referre possimus. Quibus statutis universam illius condicionis exprimere imaginem conabimur, disputatione ita instituta, ut simul quae cum capite intercesserit ratio attendamus. 2) quae universa trium oppidorum fuerit condicio quaeque ratio cum capite intercesserit.

a) terrae discriptio.

Quod ut perpetremus necesse est, ab illa populi distributione proficiscamur, quae domicilii rationem habebat. Ac vidimus ad tria illa antiqua oppida pertinuisse numerum quendam pagorum, qui δᾶμοι ut apud Atticos appellati cum unoquoque illorum oppidorum σύστημα efficiebant. Verum tamen ex compluribus inscriptionibus apparet totam eam societatem tantum sacrorum communitate constitisse. Quare quis non intellegat eam condicionem nihil nisi residuam continere eius temporis memoriam, quo vetera illa oppida sui iuris erant. Quantum enim Graeci de institutis cum sacris cohaerentibus quidquam immutare sint veriti, in dies plura quae demonstrant, inveniuntur exempla. Contra publicarum rerum procurationem omnium sive in disciplina militari sive in re iudiciaria sive in aliis liberarum urbium administrandarum formis positarum in caput fuisse translatum elucet. Hoc autem maxime eo confirmatur, quod ipsa urbs Lindus, etsi tamquam illius societatis caput interdum πόλις in inscriptionibus nominatur, tamen, ubi ratio cum capite intercedens respicitur, ὁ δᾶμος ὁ Λινδοπολιτᾶν vocatur. Verum non solum pagos et oppidula, quae in ipsa insula erant sita, sed etiam proximarum insularum et Peraeae vicos in Rhodiorum demorum numerum fuisse receptos demonstravimus. Quos demos tribuum quodam numero esse comprehensos etsi ceterarum Graecarum civitatum exemplo exploratissimum est, tamen ad id temporis nullo Rhodio titulo indicatur. Quae tamen aliqua cum probabilitate de ea quaestione conici possunt, Bottermundius p. 11 protulit.

b) gentium distributio.

Iam ad difficillimam illam quaestionem de ctoinis institutam delapsi sumus. Supra enim postquam vidimus ctoinas non genus quoddam coloniarum, sed totius civitatis terraeque veterum illorum communium divisionem repraesentasse, de ratione, quae inter eas et demos fuerit constituta, distulimus inquirere. Verum ex iis ipsis, quae supra exposuimus, maxime ex Hesychii interpretatione δῆμος μεμερισμένος clare effici potest, eam divisionem illi per demos factae fuisse subiunctam et inferiorem. Sed propius ad cognoscendam eam rationem adducemur, si animum ad id intenderimus, quam arte illa institutio cohaeserit cum sacris. Considerantibus enim nobis singularem trium illarum urbium sacrorum curam, qua fiebat, ut quicunque non e veteribus

gentibus erat oriundus, sacris excluderetur [1]), liquido apparet et eos, qui illis in urbibus sacerdotiis fungebantur, et qui summam eorum exercebant custodiam, mastros intellego (cf. *Br. Mus.* n. 351 τοῦτοι (sc. μάστροι) δὲ συνλεγέσθων ἐν Καμίρῳ εἰς τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀθαναίας, ὅκκα τοὶ ἱεροποιοὶ παραγένωντι, καὶ ἀθρεόντω τὰ ἱερὰ τὰ Καμιρέων [τὰ δαμο]τελῆ πάντα), non κατὰ δήμους eligi potuisse, sed tantum per eas societates, in quas pro gentilitate legitimi cives erant distributi. Nam cum demorum distributio maxime ad significandum domicilium et administrandas eas res publicas, quae non cohaerebant cum sacris, pertineret, utpote quibus peregrini a populo civitate donati cohiberentur, fieri non potuit, ut ad demotas ius illos elegendi deferretur. Iam vero compluribus constat inscriptionibus mastros illos electos esse per ctoinas. Ergo ctoinas gentiliciam fuisse discriptionem summa cum probabilitate nobis videmur efficere. Et confirmatur haec argumentatio et inscriptionum testimoniis et Hesychii auctoritate. Neque enim his ctoinis Hesychio teste ita coortis, ut complures gentes communium quorundam sacrorum antiquitus participes comprehenderentur, quisquam intererat, qui sacris sacerdotiisve urbis prohiberetur. Ex quibus patet, Rhodiarum ctoinarum multis ex partibus similes fuisse Atticorum phratrias. Nam et optime quadrat, quod de sacris et gentilitate earum habemus compertum, neque quod illae ctoinae etiam terrae partem complectebantur, Atticarum phratriarum condicioni obstat.

Quae cum ita sint, nonne in promptu est suspicari has κτοίνας esse ipsas illas patrarum societates, quae in titulo, de quo p. 15 disputavimus (*Br. Mus.* n. 352) enumerantur .... λέων (πάτραι), Ἀμφινέων, Χυτριείων, Ληχείων, Πυλλωνείων, Βουκολείων πάτραι? Non ipsum, quo catalogus ille conficiebatur, consilium, quod quidem Newtonius bene perspexit dicens «most probably it concerned religious rites, access to which was restricted to the members of certain families and the list may have been embodied in a decree declaring that these and no other families were so privileged . . this recurrence suggest that some particular

---

[1]) *Br. Mus.* n. 357, v. 40 sq. συνδιαφυλάξαντες τοῖς Λινδίοις ὅπως ταὶ αἱρέσιες γίνωνται ἐν Λίνδῳ τῶν ἱερέων καὶ ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποιῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπὶ τὰ κοινὰ τασσομένων ἐξ αὐτῶν Λινδίων καθὰ καὶ ἐν τοῖς νόμοις γέγραπται καὶ μὴ μετέχωντι τῶν ἐν Λίνδῳ ἱερῶν οἱ μὴ καὶ πρότερον μετεῖχον.

function was discharged by phratriae in rotation», ut de ctoinis illis cogitemus extemplo nos adducit? Vides igitur, quam moleste ferendum sit, quod ille lapis adeo mutilatus exstat, ut qui olim perscriptus fuerit ctoinarum numerus, cognosci non possit. Inde enim cum alia tum mastrorum numerum constituere liceret. Tamen illud etiam nunc perspicimus — id quod homines docti suo iure etiam de Atticis phratriis censuerunt — nonnullas phratrias vel potius ctoinas nomen duxisse a nobilissimis, quae ad illas pertinebant, patris. Nam in Amphinensium ctoina patra eodem nomine appellata invenitur. Praeterea autem inde intellegimus et complures gentes iisdem nominibus esse usas et fieri potuisse, ut gentes eodem nomine praeditae ad diversas ctoinas referrentur (cf. Κρητινάδαι b. 24, 26 et c. 19).

Praeter haec ex titulis *b. h.* VIII, p. 354 et IX, p. 114 n. 13 accipimus ctoinatas proprios habuisse sacerdotes et homines de se bene meritos non solum in suis συλλόγοις corona exornavisse — cui tamen aliqua confirmatione erat opus — sed etiam in ἱεροθυτεῖον ad ξένια vocasse, ubi cotidiano victu fruerentur.

Iam cum de summa atque amplissima eius discriptionis classe (φυλή?) nihil sciamus, nisi Camiri heroum nomina ut Athenis ad eas significandas esse usurpata (cf. Ἀλθαιμενίς), statim ad patras, quae Atticorum γένεσι respondent, transeamus. Ac mirum est, quod ἁ πάτρα ἁ Δρυιτᾶν, quae in titulo *Br. Mus.* n. 345 edito legitur[1]), ad Lindopolitarum demum pertinuisse videtur, cum demum Dryitarum, quem ex illa gente nomen duxisse putares, in Lindiorum societate fuisse tituli ostendunt. Iam duo cogitari possunt. Fieri quidem potest, ut et demus Lindopolitarum et patra Dryitarum habuerint, cur hominem illum honore afficerent. Quae res si ita se haberet, non necesse est, artius vinculum ea continuisse statuamus. Tamen alterum multo propius ad veritatem accedere putaverim, si diversas fuisse patras eodem nomine praeditas, quarum altera ad Lindopolitarum demum pertineret, altera Dryitarum demo nomen imponeret, sumimus. Nam quidni, cum patras iisdem nominibus appellatas ad diversas ctoinas relatas esse titulus ille Camirensis doceat,

---

1) Εὐαλκίδας Ἀριστολόχου .... ἐπαινεθεὶς .. ὑπὸ τοῦ δάμου τοῦ Λινδοπολιτᾶν .... καὶ ὑπὸ τᾶς πάτρας τᾶς Δρυϊτᾶν ...

illud fieri potuerit? Quo etiam Bottermundii sententia confirmatur, qui nonnullos demos nomina a nobilissimis gentibus, quae in iis habitabant, duxisse censet.

Haec sunt, quae de duabus populi distributionibus, quarum prior domicilii, gentilitatis altera rationem habebat, moneam.

Restat, ut rationem in administrandis rebus publicis usurpatam adumbrem. Quod tamen, cum Kuhnius in libro suo, quem saepius laudavimus, partem operae susceperit, paucis absolvam.

c) de ratione in administrandis rebus publicis usurpata.

Ex titulis supra prolatis luce clarius apparet incolas veterum illarum urbium quaecunque ad rationem cum externis populis intercedentem, ad rem militarem, denique ut ita dicam, ad exteriorem rei publicae formam spectabant, ea omnia ad commune insulae caput transtulisse, retinuisse solam ipsius municipii administrandi potestatem. Atque cum maiorem et opum et laudis partem celebritate templorum et solemnium sint assecuti, num mirum videtur, quod post συνοικισμόν, cum iam non suis ipsorum legibus uterentur, omnem curam diligentiamque in sacris colendis posuerunt? Quo fit, ut in illarum urbium titulis non agatur nisi de sacrorum cultu, de magistratuum electione, de honoribus, quibus homines de communi bene meriti exornantur. Quid? quod ipsa magistratuum nomina paucis exceptis ad sacra tantum faciunda respiciunt? Atqui cum dubium esse non possit, quin praeter hos etiam alii fuerint, qui profanas communis res curarent, manifesto elucet prae iis, qui sacris rebus operam navabant, omnes ceteros obscuritate fuisse demersos (cf. *Br. Mus.* n. 357 v. 40 τῶν ἱερέων καὶ τῶν ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποιῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπὶ τὰ κοινὰ τασσομένων).

Haec multitudo magistratuum sacris consulentium, quoniam nisi homines veteribus ex gentibus oriundi non creabantur neque salarium praebebatur, ipsa suadebat, ut etiam pagorum incolae ad eos honores admitterentur. His aliisque de causis evenit, ut complures pagi inde ab initio artiore vinculo cum una ex illis urbibus coniungerentur. Quodsi de re agebatur, quae ad totum σύστημα pertineret, omnium demotarum contio in capite societatis, Camiri, Lindi, Ialysi fiebat. Perpetuam autem curam et custodiam sacrorum senatus mastrorum intendebat, qui ex omnibus demis κατὰ κτοίνας electi in clarissimum capitis templum conveniebant. At quaerat

quispiam, nonne fieri possit, ut mastros magistratum similem Areopagitarum fuisse et solis sacris praefectum sumamus, regimen earum rerum, quae ad ipsa communia spectabant, penes βουλάν fuisse cogitemus. Quod mihi his de causis denegandum videtur. Primum enim nulla exstat inscriptio, quae talis βουλᾶς mentionem faciat. Deinde autem Hesychii interpretatio vocis μάστροι· παρὰ Ῥοδίοις βουλευτ[αὶ οἱ καὶ μαστ]ῆρες[1]) tali opinioni obstare videtur. Denique vero — id quod gravissimum est — et mastris erant officia imposita, quae a sacris remota ad ipsum commune administrandum attinebant (cf. *Bottermund* p. 25, *Ross Hell.* p. 115), neque video, quoniam illae urbes ne in rebus quidem ad communia regenda pertinentibus plane suae potestatis erant (cf. supra p. 24), quaenam illius senatus negotia esse potuerint. Quod cum ita sit, mastros βουλᾶς locum obtinuisse prorsus persuasum habeo. Itaque βουλά est capitis, μάστροι sunt municipiorum, ut Romae senatus, decuriones in Italorum municipiis.

de titulo *Ross, Hell.*, p. 115 n. 47.

Clarissime autem tota horum municipiorum publica disciplina ex Lindiorum decreto a Rossio *Hell.* p. 115 n. 47 edito cognoscitur. Qui titulus magnopere mutilatus cum praeterea a Rossio propter temporis angustias minus diligenter sit descriptus, multis locis eget medela. Itaque totum hanc fere in sententiam et supplendum et emendandum esse existimo (cf. *Rh. M.* XLI. p. 233). [Ἀγαθᾶ τύχα· ἀγορᾶς γενομένας (vel συλλόγου sim.) ἐν Σμινθίῳ (θεάτρῳ simile) περὶ χοραγῶν [αἱρέσεως? ἐπὶ ἱερέως τᾶς μὲν Ἀθάνας....] στράτου, τοῦ δὲ Ἁλίου Ῥοδοπείθευς, Διοσθύου ἐνδεκάτα· ἔδοξε μάστροις καὶ Λινδίοις· ἐπιστατᾶν γνώμα· ἐπειδὴ πλείσταν πρόνοιαν ὁ σύμπας δᾶμος ὑ[πέθετο] εἰς τὸ τὰς τοῦ Διονύσου τειμὰς συν[τηρεῖν ψαφισάμενος vel κελεύσας sim.] ἀγῶνας τελεῖν καὶ πονπὰς καὶ θυσίας [εἰς ἀ]εὶ Σμινθ[ίῳ], χοραγῶν ποιούμενοι αἵ[ρεσιν] καὶ πολειτᾶν καὶ ξένων· ὁμοίως δὲ κα[ὶ Λίνδι]οι εἰς τὰν ποτὶ τὸν θεὸν εὐσέβειαν [ἐσφέρον-vel φιλοτιμοῦν]ται· δεδόχθαι Λινδίοις κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος τὰ μὲν ἄλλα πάντα γείνεσθαι περὶ τὸν Σμίνθιον κατὰ τ[ὸ ψά]φεισμα (vel τὸ ἀρχαῖον ἔθισμα vel simile) Λινδί[ων(οις?)· ποτ]αιρείσθων [δὲ τοὶ ἐπιστάται], τοὶ ἀεὶ ἐν ἀρχᾷ ἐόντες ποτ[ὶ τοῖς ἐκ Λινδίων αἱρ[η?]μένοις χοραγοῖς καὶ ἄλλο[υ]ς χοραγο[ὺ]ς ἐκ τῶν κατοικεύντων καὶ γεωργεύντων ἐν Λινδίᾳ πόλει ξέν[ω]ν ἕξ, εἴ κα μ[ή] τινες ἐπαγγέ[λλ]ων-

[1]) Sic Bernhardy ad Suidae v. μαστῆρες iure supplevit.

ται· τοὶ δὲ αἱρεθέντες στελλόντω [τὰν] πο[μπ]ὰν ἐν τοῖς Σμινθίοις ἕκαστος καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους [γ]έ[γρ]α[π]τα[ι] [κ[αὶ ποιείσθων ἔ[τ]ι θυσίαν ἀνε[μ]ε[σή]τω[ς] (??) ἐνου[σίαν etc.

Hoc ex plebiscito intellegimus τὸν σύμπαντα δᾶμον i. e. τὰν βουλὰν καὶ τὸν δᾶμον τῶν Ῥοδίων, quo Dionysi honores augerentur, aliquando constituisse, ut in futurum tempus certamina celebrarentur atque sacrificia fierent, quorum sumptus tolerarent choregi et ex civibus et ex peregrinis creati. Quo commoti Lindii cum non minus Dionysum venerarentur, sciverunt, ut in posterum maiori impensae faciundae plures choregi constituerentur atque quidem ut ad choregos e Lindia civitate electos alii ex numero peregrinorum (κατοικεύντων καὶ γεωργεύντων ἐν Λινδίᾳ πόλει ξένων) crearentur. Vides igitur quomodo illa municipia decreto a toto populo confecto, ut ipsa ex eius sententia agerent, adducta sint.

Iniuria autem Kuhnius in libro suo p. 214 τὸ πλῆθος τὸ Λινδίων ipsis illis κατοικοῦσι καὶ γεωργοῦσι esse effectum contendit. Immo ipsa inscriptio clare ostendit ut Rhodi sic etiam Lindi praeter servos duo incolarum fuisse genera, alterum civium, peregrinorum alterum. De Rhodiorum quidem et civium et peregrinorum generibus, quam rem Bottermundius in dissertatione sua p. 1 sq. parum accurate tractavit (cf. etiam *Gilbert, Handb.* II, p. 294 adn. 1), materiem sat copiosam haurimus ex titulo *Br. Mus.* n. 343, ubi legimus: δεδόχθαι ἐπαγγέλλεσθαι τὸς δηλομένος τῶν τε πολιτᾶν καὶ πολιτίδων καὶ νόθων καὶ παροίκων καὶ ξένων. Sed quaenam ipsorum civium fuerint iura, hoc loco non est, cur moneam. Νόθων vero condicionem perspicue ex Pollucis loco III 21 (νόθος δὲ ὁ ἐκ ξένης ἢ παλλακίδος· ὑπ᾽ ἐνίων δὲ καλεῖται μητρόξενος) et ex scholio Eurip. ad Alcest. v. 1001 (τούτους [sc. τοὺς λαθραίους vel σκοτίους] δὲ Ῥόδιοι ματροξένους καλοῦσι) intellegimus. Quae res etiam catalogo illo a Rossio *Arch. Aufs.* II, p. 606 n. 18 divulgato illustratur, quo aliquoties nominibus hominum adiecta est formula ματρὸς δὲ ξένας. Similem quandam institutionem publicam in titulis Cois et Calymniis invenimus. At cum haec res minus ad quaestionem nostram attineat, haec missa faciamus. Denique verba παροίκων καὶ ξένων clare ostendunt, ut in plurimis Graeciae urbibus distingui solebat inter peregrinos, qui diutius in una urbe consederant iuraque quaedam erant adepti (μέτοικοι),

de incolarum generibus.

πολῖται.

νόθοι.

πάρ[μέτ]οικοι et ξένοι.

et eos, qui paulisper aliquo loco morabantur (ξένοι, cf. *Hermes* VII, p. 133), sic etiam Rhodi hoc inter peregrinos exstitisse discrimen.

Quod etiam inscriptione a Rossio *In. in.* n. 278 foras data, sed falso explicata confirmatur (Ἐπιγόνου Ῥοδιοπολίτα μετοίκου ἐλευθερωθέντος ὑπὸ τᾶς πόλεως καὶ ξενωθέντος ὑπὸ τᾶς βουλᾶς καὶ τοῦ δάμου καὶ χοραγήσαντος δίς). Rectissime quidem Bottermundius (p. 10) hominem illum Rhodiopolitanum, cum dicatur a populo liberatus, μέτοικον ex servo publico esse factum perspexit[1]). Minus tamen intellexisse videtur illud καὶ ξενωθέντος ὑπὸ τᾶς βουλᾶς καὶ τοῦ δάμου. Verum quid aliud haec verba significare possunt quam servo illi, postquam ab urbe est liberatus, primum concessum esse ius peregrini (ξένου), postea demum μετοίκου? Dilucide igitur etiam inde duo illa peregrinorum genera cognoscuntur. Si autem hoc in titulo vocabulum μέτοικος (sicuti etiam ap. Ross. *Hell.* p. 109 n. 38; Dionem Chrys. or. 31. 566 R), priore in inscriptione πάροικος adhibetur, hoc fortasse ad temporum discrimen est referendum. Quam differentiam non ita magni esse momenti vel inde apparet, quod in proximis insulis Doricis Carpatho et Calymna in altera vox πάροικος (*Ditt. syll.* 331, v. 10, *b. h.* VIII, p. 354), in altera μέτοικος (*Br. Mus.* n. 298 v. 17) usurpatur. Iam cum compluribus titulis constet μετοίκους (non ξένους) ad choregiam suscipiendam esse evocatos, etiam in Lindio illo decreto, a quo profecti sumus, verbis οἱ κατοικεῦντες καὶ γεωργεῦντες ἐν Λινδίᾳ πόλει ξένοι metoecos esse significatos patet. Hoc etiam inde comprobatur, quod soli metoeci, non ξένοι, privilegii illius, quo ἔγκτησις γῆς καὶ οἰκίας iis condonabatur, erant participes, quod ius certe significatur verbis κατοικεῦντες καὶ γεωργεῦντες[2]).

---

[1]) Quos servos publicos etiam in inscriptione apud Rossium *Hell.* n. 46 reperimus, ubi nominantur οἱ τᾶς πόλιος δοῦλοι. Unde explanari mihi videtur, quod in titulo apud Rossium *In. in.* n. 278 dicitur ἐλευθερωθέντος ὑπὸ τᾶς πόλεως, non ὑπὸ τοῦ δάμου.

[2]) Nonnullis in urbibus ipsa vox κατοικεῦντες de metoecis in usu erat (cf. *Gilbert, Handb.* II, p. 294). Conferri etiam potest titulus Carpathius *Ditt. syll.* 331, ubi legimus: οὐ μόνον τῶν δαμετᾶν, ἀλλὰ καὶ τῶν παροικεύντων . . et πολλοὺς τῶν δαμετᾶν . . . καὶ ἕκαστον τῶν κατοικεύντων ἐν τῷ περιπολίῳ (cf. *Diod.* 20. 84 τῶν δ' ἐν τῇ πόλει [sc. Ῥόδῳ] κατοικούντων παροίκων καὶ ξένων δόντες ἐξουσίαν τοῖς βουλομένοις συναγωνίζεσθαι).

de verbis χυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος.

Quibus expositis restat, ut de verbis Lindii illius decreti χυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος, quae saepius in Rhodiis titulis occurrunt neque tamen ab hominibus doctis recte explicata esse mihi videntur, accuratius agam. Atque cum quam longissime hominum sententiae de ea χυρώσει discedant, e re erit singulos titulos, ex quibus aliquid de natura eius effici potest, proponere. Nostra igitur inscriptione accipimus decreto illi a senatu populoque Lindiorum de choregorum creatione proposito opus fuisse aliqua confirmatione. Ac conveniens est hominum doctorum opinio statuens hanc a Rhodiis comitiis (ὁ σύμπας δᾶμος) pependisse. Verum si hoc sumimus, mirum sane videtur, curnam Rhodii plebiscitum, quod ex ipsorum auctoritate erat profectum, confirmare debuerint.

Alius Rhodius titulus est *j. of h. st.* II. p. 356 ubi legimus χυρωθέντος δὲ τοῦ ψαφίσματος οἱ ἐπιστάται.... ἐπιμεληθέντων τᾶς στεφανώσιος....ὅπως οὖν καὶ εἰς τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον φανερὰ ᾖ τὰ δόξαντα, Εὐθαλίδαι ἑλέσθωσαν ἄνδρα, ὁ δὲ αἱρεθεὶς αἰτησάσθω τὰν βουλὰν καὶ τὸν δᾶμον δεδόσθαι Εὐθαλίδαις ἐπαινέσαι....ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ.... δεδόσθαι... Εὐθαλιδᾶν τῷ κοινῷ ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι.. ἀναθέμειν δὲ καὶ στάλαν ἐν Νεττείᾳ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Πατρωΐου. Egebat igitur illud Euthalidarum communis decretum, quo hominem erant honoraturi, quadam sanctione. Itaque Newtonius eo ipso scito, quod est adiectum, illam confirmationem impertiri putavit, βουλάν et δᾶμον, a quibus conceditur, Nettiensis demi esse ratus. Quae opinio quam perversa sit, supra p. 21 demonstravimus, ubi statuimus βουλὰν καὶ δᾶμον intellegi posse solum Rhodiorum. At si verba χυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος ad Rhodiorum κύρωσιν spectare contendis, manet ea offensio, ut non intellegas, quomodo post haec verba pergi potuerit ὅπως οὖν καὶ εἰς τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον φανερὰ ᾖ τὰ δόξαντα,... αἰτησάσθω τὰν βουλὰν καὶ τὸν δᾶμον δεδόσθαι Εὐθαλίδαις etc.

Accedit tertius titulus Rhodius *C. I. G.* 2525[b] v. 12—16 τύχᾳ ἀγαθᾷ δεδόχθαι τῷ κοινῷ τῷ Ἁλιαδᾶν καὶ Ἁλιαστᾶν χυρωθεισᾶν τᾶνδε τᾶν τιμᾶν ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι, quo apparet coronas ceterosque honores ab illa societate decreta oportuisse sanciri.

Gravior est inscriptio Carpathia *Rev. arch.* 1863 II. p. 471 (*Br. Mus.* n. 364, *Dittenberger syll.* n. 331), quae haec exhibet... Βρυκούντιος εἶπε· ἐπειδὴ Μηνόκριτος....., ὅπως ὁ δᾶμος ὁ Βρυκουντίων

φαίνηται εὐχάριστος.... κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος δεδόχθαι τῷ δάμῳ ἐπαινέσαι ... ἐξέστω δὲ Μηνοκρίτῳ καὶ εἰς τὰς παναγύρεις παραγίνεσθαι ..... μετὰ δὲ τὰν κύρωσιν τοῦδε τοῦ ψαφίσματος ἑλέσθω ὁ δᾶμος ἄνδρα, ὁ δὲ αἱρεθεὶς αἰτησάσθω ἐν τῷ σύμπαντι δάμῳ τὰν δόσιν τοῦ στεφάνου καὶ ὥστε ἀναθέμειν εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ποτειδᾶνος τοῦ Πορθμίου στάλαν λιθίναν .... Iterum homines docti Wescherus, Newtonius, Beaudouinius, Dittenbergerus censent illam κύρωσιν in eo fuisse positam, ut decretum demi Brycuntiorum totius civitatis sive Carpathiorum sive Rhodiorum suffragiis confirmaretur. Sed ipsius inscriptionis verba μετὰ δὲ τὰν κύρωσιν τοῦδε τοῦ ψαφίσματος ἑλέσθω ὁ δᾶμος etc. clarissime ostendunt, priusquam totus populus concederet τὰν δόσιν τοῦ στεφάνου καὶ ὥστε ἀναθέμειν στάλαν, alia fuisse opus sanctione. Unde denuo vides quam perverse homines docti statuerint in Nettiensium illo titulo verbis ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ δεδόσθαι....ipsam illam confirmationem contineri. Quae cum ita sint, priorem illam sanctionem nequaquam ex totius populi auctoritate aptam fuisse eminet.

Sed forsitan dicat quispiam priorem κύρωσιν penes Rhodiorum civitatem fuisse, τὰν δόσιν τοῦ στεφάνου ad Carpathiorum universum populum (σύμπαντα δᾶμον) pertinuisse. Verum ne hoc quidem fieri posse cum iis, quae supra de Carpathiorum communi exposuimus perspicitur, tum inscriptione *M. a. Ö.* 1883, p. 113 = *M. a. Ath.* II. p. 228 edita certissime convincitur. In hac enim haec exstant verba δεδόχθαι τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ κυρωθέντος τοῦδε τοῦ [ψαφίσματος].... ἐπὶ βάσιος, λίθου λαρτίου [1]) ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἁλίου. Iam cum hoc decretum ab ipsis Rhodiorum comitiis sit factum, necessario efficitur illam κύρωσιν ex eorum auctoritate non pependisse. In cuiusnam igitur arbitrio eam sitam fuisse putemus? Quam ad quaestionem ut possimus respondere, necesse est argumenta omnium eorum titulorum, quibus de κυρώσει mentio est facta, accuratius consideremus. Quod si fecerimus, eveniet, ut omnes illos alium magis alio cum rebus sacris

---

[1]) Quid λίθος λάρτιος, qui pluribus in inscriptionibus et Rhodiis (*M. a. Ath.* II, p. 228 v. 7; cf. *M. a. Ö.* 1883, p. 113, Cauer delectus p. 126 v. 99, *Br. Mus.* n. 349 v. 10 [Ialysia, cf. *Herm.* XIV, p. 457 adn. I]) et Carpathia *b. h.* VIII, p. 355 commemoratur, sibi velit, ea de re proxime alio loco accuratius exponam.

cohaerere intellegamus. Quae cum ita sint, in promptu est cogitare, quale apud Athenienses Areopagitarum erat consilium, talem Rhodi quoque institutum fuisse magistratum, apud quem summum rerum sacrarum regimen et praesidium esset.

Denique his cum titulis conectenda est Carpathia inscriptio, quae *b. h.* VIII. p. 354 foras est data: ὅπως οὖν καὶ ἁ κτοίνα ἁ Ποτιδαιέων φαίνηται... τιμοῦσα τοὺς ἀξίους τῶν ἀνδρῶν... δεδόχθαι τᾷ κτοίνᾳ ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι... Παμφιλίδαν Ἱέρωνος Καρπαθιοπολίταν... ὁμῶς δὲ καὶ στᾶλαι ἀγορασθῶντι δύο λίθου Λαρτίου... καὶ ἀνατεθῶντι μία μὲν ἐμ Πορθμῷ.... μία δὲ ἐν Ποτιδαίῳ... δότω ὁ ταμίας τὸ γενόμενον τέλεσμα εἴς τε τὸν στέφανον καὶ τὰς στάλας· ἑλέσθαι δὲ καὶ ἄνδρα· ὁ δὲ αἱρεθεὶς ποιησάσθω τὰν αἴτησιν τοῦ στεφάνου καὶ ἀνάθεσιν τᾶν σταλᾶν ἐν τῷ σύμπαντι δάμῳ. Αἱρέθη Θεμιστόλας Τελεσάνδρου Καρπαθιοπολίτας. Mirum enim videtur, quod in hoc decreto, quamquam simillimum est illius *Rev. arch.* 1863 II. p. 471 (*Dittenberger Syll.* n. 331) provulgati, post verba δεδόχθαι τᾷ κτοίνᾳ non legitur κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος. Verum non desunt rationes, quibus ea offensio potest explicari. Proximum sit statuere, quo tempore hoc scitum fieret, eo fuisse magistratum illum, a quo κύρωσις penderet, aut plane abolitum aut sic imminutum, ut decretis confirmatione eius non esset opus. Sed etiam altera explanatio cogitari potest. In comparationem enim vocandam esse censeo formulam illam in Mylasensibus titulis saepius adhibitam ἔδοξε Μυλασεῦσιν ἐκκλησίης κυρίης γενομένης καὶ ἐπεκύρωσαν αἱ τρεῖς φυλαὶ (*C. I. G.* 2691, *Le Bas voy. arch.* II. 3 n. 377—379). Quo de usu Waddingtonius (p. 111) haec commentatur: «il y avait probablement à Mylasa deux assemblées, l'une générale, composée de l'ensemble des citoyens, l'autre plus restreinte, où n'étaient admis que les membres des trois tribus, qui avaient formé le premier noyau de la population, et qui constituaient une sorte d'aristocratie. Nous avous vu qu' à Olymos il y avait également trois tribus ou clans (συγγένειαι), dont faisaient partie les membres de certaines familles seulement (n. 339) et qui avaient des cérémonies réligieuses particulières; il en était de même à Mylasa... Cette organisation probablement fort ancienne à Mylasa, fit place plus tard à la double assemblée du sénat et du peuple...; le sénat électif (βουλή) remplissait les fonctions attribuées autrefois aux trois anci-

ennes tribus, soit qu'elles siégeassent séparément, soit qu'elles délibérassent ensemble et formassent un véritable sénat héréditaire. A Rome aux premiers temps de la république, on trouve une organisation exactement analogue à celle des Mylasiens; les décisions des comitia centuriata devaient être sanctionnées par les comitia curiata, avant d'avoir force de loi; et cependant les membres des curies avaient déjà voté comme membres des centuries.» Num haec de Mylasensium tribubus dicta etiam ad Rhodiorum transferri possunt, ut non de magistratu illo sacrorum custodiae praeposito, ut supra putavimus, sed potius de contione veterum tribuum sit cogitandum? Si possunt, fortasse aliam habes rationem, qua explices, cur in Carpathio illo titulo verba κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος sint omissa. Nam cum hoc decretum constitueretur a ctoina quadam, quas pro gentilitate confectas veterum tribuum quasdam effecisse classes supra vidimus, fortasse sumas his ctoinis cum sacris artissime cohaerentibus non opus fuisse illa sanctione. Quamquam alterum magis videtur probabile, ut ponamus, sicuti Romae illud curiatorum comitiorum sanciendi ius sensim ad inanem rei formam delapsa est, ita etiam Rhodi eam confirmationem a gentilicio quodam instituto repetundam denique nihil nisi sollemnem quandam fuisse actionem, omni momento carentem, cuius mentio facile posset neglegi. Verum tamen ut de Rhodo illud probemus, ad id temporis neque quae a scriptoribus sunt tradita, neque quae ex titulis Rhodiis colliguntur sufficiunt. Contra sat multa ea de re ex inscriptionibus Cois aliarumque urbium titulis [1]) effici possunt, quae etiam Rhodiorum rebus lumen afferant. Sed cum haec quaestio satis late pateat, alia data occasione accuratius de ea disserere est mihi in animo.

Nunc illud solum addam sane fieri posse, ut sive magistratui illi sive veterum tribuum contioni etiam alia quaedam concessa fuerint iura, quae ad ipsas res publicas administrandas spectabant. Nonne enim nobilis illa temperantia ac constantia, quae Rhodiorum civitati tertio ante Chr. n. saeculo erat propria, optime cum ea sententia quadrat? Non si talem magistratum

[1]) Formula illa κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος plurium in urbium titulis invenitur, veluti Syri (*C. I. G.* 2347^{c} v. 54), Anaphes (*Ross, Arch. Aufs.* II, p. 504 v. 17 κυρω]θε[ί]σας τᾶςδε τᾶς γνώμας), Coi (*b. h.* V, p. 238 n. 26$_{13}$, VI, p. 254 F. II. v. 16 [cf. p. 262], VII, p. 481 n. 4), aliarum.

aut contionem sumimus, nota illa Strabonis verba δημοκηδεῖς δ' εἰσὶν οἱ Ῥόδιοι καίπερ οὐ δημοκρατούμενοι, quae omnibus viris doctis cum explorata Rhodiorum democratia pugnare videbantur, explicari possunt et intellegi?

Appendix.

Quoniam supra eorum communium, quae in ipsa insula erant sita, res publicas illustravi, reliquum est, ut nunc quaenam ratio insulis imperio Rhodiorum subditis cum Rhodo intercesserit describam. Sed cum neque scriptores de ea re satis copiose referant (cf. *Meursius* p. 51 sq.), neque inscriptiones magnum suppeditent subsidium, paucis eam quaestionem transigam. **Quae publica earum fuerit insularum disciplina, quae cum Rhodo erant foederatae.**

Ac Chalcen quidem insulam semper in Rhodiorum potestate fuisse non solum scriptorum probatur testimoniis, sed etiam inscriptione Camirensi *Br. Mus.* n. 351 (ἔδοξε Καμιρεῦσι τὰς κτοίνας τὰς Καμιρέων τὰς ἐν τᾷ νάσῳ καὶ τὰς ἐν τᾷ ἀπείρῳ ἀναγράψαι πάσας . . . πλὴν Χάλκης, ἐξῆμειν δὲ καὶ Χαλκήταις) satis certo efficitur. Praeterea autem hoc ex titulo cognoscimus illam insulam ad Camirensium pertinuisse σύστημα. Alius titulus, qui huc facit, Lindius apud Rossium *Arch. Aufs.* II, p. 599 ἐπιστάται τοὶ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ δάμου Εὐκράτης [Κα]πυστράτου Τήλιος, Ζήνων Πράξωνος Χαλκήτας ostendit Chalcenses intervallo, quo ab insula distabant, impeditos non esse, quominus administrandis rebus publicis Rhodiorum navarent operam. **Chalce.**

Idem de Telo insula eadem haec inscriptio ut vides docet. Sed praeter hanc inscriptionem nulla exstat, quae Teliorum societatis cum Rhodiis pactae mentionem iniciat. Verum potest effici etiam ex similitudine civitatis formae (cf. *Gilbert, Handbuch* II, p. 214 adn. 1) et ex vetere illa ratione publice cum Lindiis intercedente (cf. *Ross, In. in.* n. 169). **Telus.**

De Nisyro insula praeclarum habemus Diodori locum: οἱ δὲ τὴν Νίσυρον τὸ παλαιὸν οἰκήσαντες ὑπὸ σεισμῶν ἐφθάρησαν· ὕστερον δὲ Κῷοι καθάπερ τὴν Καλύδναν ταύτην κατῴκησαν· μετὰ δὲ ταῦτα φθορᾶς ἀνθρώπων ἐν τῇ νήσῳ γενομένης οἱ Ῥόδιοι ἀποίκους εἰς ταύτην ἔστειλαν. Ex inscriptionibus autem Nisyriis nihil in nostrum usum converti potest, nisi quod etiam hic δαμιουργόν magistratum fuisse eponymum constat (cf. *Gilbert* p. 213). Fortasse tamen ex epistula ad Nisyrios c. annum 200 a Philippo, Macedonum rege, **Nisyrus.**

qui tum Cycladum aliarumque insularum erat dominus, missa (*Ross, In. in.* 166 = *Dittenberger, Syll.* 195) aliquid novi colligere licet. In ea enim legimus: ἐπὶ Λυσικράτεος δαμιεργοῦ μηνὸς Καρνείου ἰκάδι· ἔδοξεν τῷ δάμῳ· βουλᾶς γνώμα· ἐπειδὴ Καλλίας πάρεστι πὰρ βασιλέως Φιλίππου . . . ἀπαγγέλλων, δεδωκέναι βασιλῆ ἁμῖν νόμοις τοῖς πατρίοις καὶ ὑπάρχουσιν χρῆσθαι· δεδόχθαι Νισυρίοις, ὅπως Καλλίας ἀπαγγέλλει [τοῖς νόμοις] χρῆσθαι . . . . Iam cum Philippus illo tempore cum Rhodiis bello disceptaret, Nisyrios autem χρῆσθαι νόμοις τοῖς πατρίοις καὶ ὑπάρχουσι admitteret, ab omni verisimilitudine abhorret Nisyriorum rerum publicarum administrationem plane a Rhodiorum auctoritate pependisse.

Casus. Verum etiam Casum insulam in Rhodiorum civitatem fuisse redactam et Plinius et Aristides tradunt, cum ex inscriptionibus nihil de ea re possit enucleari.

Carpathus. Quod ad Carpathum attinet, supra compluribus locis quam arte ea insula cum Rhodo fuerit coniuncta vidimus. Itaque Dittenbergerus (*syll.* n. 331 adn. 12) suo iure ambigi posse dixit, utrum ὁ σύμπας δᾶμος in titulis Carpathiis saepius laudatus (*Dittenberger, syll.* n. 331, *b. h.* IV, p. 262 n. 2, *b. h.* VIII, p. 355) universus Carpathiorum populus an tota Rhodiorum civitas sit intellegenda. Eadem formula ὁ σύμπας δᾶμος etiam in marmore Calymnio *Br. Mus.* n. 259 invenitur, ubi de tota Rhodiorum civitate vix cogites[1]. Itaque, quamquam infra novum momentum ad hanc quaestionem illustrandam afferam, tamen eam, ut prorsus nulla resideat dubitatio, nondum diiudicari posse censeo.

De ceterarum insularum, quae cum Rhodo erant foederatae, Symes, Megistes, aliarum rebus publicis accuratius iudicare non possumus.

Quibus lineamentis in illustranda illa societate, cum ne nummi quidem praebeant sufficiens subsidium, ad id temporis acquiescere debemus. Itaque nondum asseverari potest, quantum valeant Dionis Chrys. (*or.* 31. 592 R) verba: καὶ γὰρ

---

[1]) Nequaquam enim ex eo, quod in catalogo hominum *Br. Mus.* 343 proposito inter Rhodios etiam nonnulli Calymnii omisso ethnico leguntur (cf. p. 114), contrarium effici potest. Nam in praescriptione illius tituli diserte monetur non solum cives, sed etiam peregrinos pecunias contulisse et in illo lapide esse perscriptos; etsi mirum videtur, quod nominibus peregrinorum (excepto uno exemplo) patria non est addita.

τὴν ἄντικρυς χώραν καὶ Κάρπαθον ταύτην καὶ ἤπειρον, ἑτέρας νήσους καὶ καθόλου πολλὰ ἔστιν εὑρεῖν, ἃ κοινῇ μὲν ἀπεγράψατο ἡ πόλις, διῄρηται δὲ εἰς τοὺς κατὰ μέρος (cf. *or.* 31. 591 R) et Aristidis Ῥοδ. 546 Dind. καὶ νῦν Κάρπαθον μὲν καὶ Κάσον καὶ ἄλλας νήσους οἰκουμένας ἔστιν ἰδεῖν οὐδὲν ἐχούσας ὅτι εἴπωσι καὶ παρ' ὧν φόρον ἐκλέγειν ὑμῖν πρὸ τοῦ μικρὸν ἦν.

Denique quam arte Peraea cum Rhodia civitate fuerit colligata, optime demonstrat Camirensis ille titulus ἔδοξε Καμιρεῦσι τὰς κτοίνας τὰς Καμιρέων τὰς ἐν τᾷ νάσῳ καὶ τὰς ἐν τᾷ ἀπείρῳ ἀναγράψαι πάσας (*Br. Mus.* n. 351). Catalogus autem Rhodiorum magistratuum a Roehlio *M. a. Ath.* II, p. 225 evulgatus praetorem Peraeae fuisse praefectum testatur (στραταγὸς ἐπὶ τὸ πέραν). Cuius imperio subiecti videntur qui in eodem laterculo perhibentur ἁγεμὼν ἐπὶ Καύνου, ἁ. ἐ. Καρίας, ἁ. ἐ. Λυκίας. Peraea.

Haec quidem hactenus.

Pars II.

In altera disputatiunculae meae parte propositum mihi est, ut quaenam ipsius capitis fuerit disciplina publica quantamque administrationis partem habuerint incolae et municipiorum Camiri, Lindi, Ialysi et insularum subditarum exponam. **II. Quaenam capitis fuerit rerum publicarum forma.**

Verum tamen quoniam maxime de his rebus homines docti et praeter ceteros Bottermundius disseruerunt, ligna in silvam ferrem, si uno tenore eas enarrarem. Quam ob causam de iis tantum, quae prave aut minus accurate tractata mihi videntur, verba faciam.

Primum igitur de senatus et comitiorum potestate pauca adnotemus. **a) senatus et comitia.**

Senatus et comitia.

Priusquam autem ipsam hanc quaestionem aggrediamur, paucis agamus de senatorum nomine. Nam Bottermundii sententiam, qui Rhodiorum senatores post Rhodum conditam nomen mastrorum retinuisse existimat, futilem esse censeo. Neque enim unquam in titulis ea significatio ad denotandos Rhodiorum sena- **nomen senatorum.**

tores usurpatur; immo non solum identidem occurrit vox ἁ βωλά, sed etiam in titulo *C. I. G.* 2530 vocabulum βουλευταί legitur (cf. *C. I. G.* 3426). Denique id argumentum, quo Bottermundius maxime nititur, plane cadit. Minime enim ab Hesychio vox μάστροι explanatur οἱ παρὰ Ῥοδίοις βουλευταί, sed παρὰ Ῥοδίοις βουλευταί. Spectavit igitur Hesychius, nisi omnia me fallunt, mastros illos trium veterum oppidorum, de quibus supra dixi, non spectavit capitis senatores. Itaque dubium esse non potest, quin Macedonica aetate Rhodii senatores suos nomine βουλευταί appellaverint.

De potestate senatus.

Quae homines docti de singulis et senatus et comitiorum muneribus disputaverunt, in universum diserte et circumspecte sunt expedita; tamen unum minus feliciter administrasse mihi videntur. Duobus enim e Polybii locis primus Paulsenius assentientibus fere omnibus, qui de Rhodiorum rebus egerunt, effecit — id quod per se est verisimile — gravioribus quidem in rebus oportuisse senatus decreta a populo sanciri, non oportuisse in minoribus, neque comitiis decernendi ius fuisse nisi de eis rebus, quae a senatu ad ea latae essent. At quicunque illos locos paulo diligentius perlegerit, sic eos esse comparatos concedet, ut nihil inde eam in sententiam colligi possit. Priore quidem loco (l. 27. 14) Polybius narrat, cum Perseus anno 170 legatos Rhodum de redimendis captivis misisset, eos, qui in insula res publicas gererent (τοὺς πολιτευομένους), maximis in angustiis esse versatos, quid facerent dubitantes. Altera enim pars Perseo favebat, Romanis altera. Καὶ τέλος, pergit Polybius vel potius epitomator, ἐποιήσαντο διάταξιν πρὸς τὸν Περσέα περὶ τῆς τῶν αἰχμαλώτων διαλυτρώσεως. Quibus in verbis cum nullius rogationis ad populum latae fiat mentio, Paulsenius illam concepit opinionem. Verum quam perperam iudicaverit, si alterum locum perpensitaveris intelleges. Quo loco (l. 27. 7) narratur, cum anno 170 epistula praetoris Romani, qua a Rhodiis naves petebat, Rhodum esset allata, ibi deliberationem esse institutam, utrum voluntati eius obsequerentur necne; denique autem decretum de mittendis navibus a populo esse sancitum. Iam Paulsenium recte statuisse puto primum deliberationem de mittendo auxilio in senatu esse habitam, deinde vero rogationem ad populum delatam. Si autem epitomatoris narrationem accuratius contemplamur, verba καὶ τοῦ

διαβουλίου προτεθέντος collato Polybii loco 29. 10 (προτεθείσης χειροτονίας — διέκρινε τὸ διαβούλιον) tantum ad comitia referri possunt. Vides igitur non esse distinctas duas illas deliberationes. Quod cum ita sit, num mirum videtur, quod priore loco, quo Polybii narratio vel in concisiorem epitomen est coacta, non dilucide inter eos, qui deliberabant, quique sciscebant, discernitur? Unde apparet quam caduca sit illa Paulsenii argumentatio. Ideo autem paulo copiosius de ea exponendum esse existimavi, quod ipsa illa res, nimirum captivorum restitutio, nequaquam tam parvi est momenti, quam homini illi docto est visa. Nonne enim in suspensis illis temporibus Rhodiis pertimescendum erat, quamcunque benevolentiam Perseo praestarent, ne ea Romanorum animos a se abalienarent funestissimumque bellum sibi excitarent. Itaque si Paulsenii ratio probanda fuisset, unica sane senatus potestas inde esset efficienda. Noli tamen credere me illam de senatu comitiisque sententiam ipsam improbare. Immo tantum abest, ut vel in minoris momenti rebus senatus decreta a populo sanciri oportuisse censeam, ut id ullo pacto fieri potuisse denegem.

In universum autem ex scriptorum testimoniis apparet et senatum, qui perpetuo rempublicam administrabat, et comitia, quae de summis rebus ad civitatem spectantibus decernebant, eadem potestate atque Atticorum βουλήν et ἐκκλησίαν fuisse praedita. Tamen una in re haut exiguum cernitur discrimen. Legimus enim apud Ciceronem de rep. III 35: «omnes (sc. Rhodii) erant iidem tum de plebe tum senatores vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio; utrobique autem conventicium accipiebant, et in theatro et in curia res capitales et reliquas omnis iudicabant iidem; tantum poterat tantique erat, quanti multitudo [senatus . . .». Itaque cum hoc populare munus — id quod ex Ciceronis loco efficitur — iudiciarium fuerit, Sallustii quendam locum cum Ciceroniano conferre possumus, ubi legimus (de rep. ord. II 7. 12): «neque Rhodios neque alias civitates unquam iudiciorum suorum poenituit, ubi promiscue dives et pauper, ut cuique fors tulit, de maximis rebus iuxta ac de minimis disceptat». Itaque haec satis certe statui posse crediderim. Primum quidem patet in eligendis Rhodiorum senatoribus — id quod sorte fiebat — eo

tempore nullam rei familiaris habtiam esse rationem. Deinde autem inde apparet Rhodios senatores ut Athenienses accepisse μισθόν, quod idem testatur Dio Chrysost. *or.* XXXI 620 (102) τότε μὲν γὰρ .... ἀνηλίσκετο ... τοῖς δικάζουσι, τῇ βουλῇ. Denique vero Ciceronis illa verba «omnes (sc. Rhodii) erant iidem tum de plebe tum senatores vicissitudinesque habebant, quibus mensibus etc.» Wachsmuthius me monuit accipienda esse hanc in sententiam, quae adhuc omnes viros doctos effugit. Omnes igitur Rhodios quotannis et senatorio munere (in curia) per aliquod tempus et populari (iudiciali in theatro) per reliquum tempus functos esse. Itaque singulorum senatorum munus non per annum durasse, ne per semestre quidem, sed per singulos solum menses duos tresve. Accuratiora dici posse, si licuerit numerum civium plus triginta annos natorum constituere. Hactenus tamen ad certam probabilemve coniecturam proponendam deesse certa testimonia, cum ne Diodori quidem (XX 84) sufficiat. Quae unica sane videtur institutio maximique multis de causis momenti, cui novi tituli clarum ut afferant lumen magnopere est exoptandum.

Senatorum autem illas vices Rossius in titulo *Hell.* n. 23 (p. 101) deprehendisse sibi videtur; fortasse etiam in alia inscriptione, quam infra tractabimus (p. 49), latent. Atque facile fieri potest, ut prytanum numerus, quos sex senatui praefuisse unumque scribam cum eo communem habuisse constat (cf. *M. a. Ath.* II, p. 226 sq.), praesertim cum unus ex iis per semestre tantum summa uteretur auctoritate, artissime cum illa senatus vicissitudine cohaereat. Sed melius erit nesciendi illam artem exercere, donec novi tituli erunt inventi.

Iam transeamus ad titulos aliquid novum de senatu comitiisque commemorantes.

Ad id tempus tantum sex inscriptiones sunt inventae populi decreta continentes, quae ad aetatem, de qua hac commentatione agitur, certo possunt referri. Sunt autem hae: foedus illud inter Rhodum et Hierapytnam Naberi sententia c. 220 a. Ch. n. confectum (*Mnem.* 1852, p. 75 sq. = *Cauer*[2] n. 181), populi scitum in magna civitatis calamitate de pecuniis conferendis factum (*Br. Mus.* n. 343), quod Newtonius optimo iure inter annos 203—189 incisum esse statuit, decretum a Rhodiis

ad Cyzicenos missum (*C. I. G.* 3656), Boeckhio auctore secundo a. Ch. n. saeculo vix superius, decreta ad Iasensium querelas spectantia (*Le Bas voy. arch.* n. 251), quae inter annos 187—70 exarata esse Waddingtonius certis argumentis probavit, psephisma de vendendo oleo *b. h.* VII, p. 97 editum, denique plebiscitum *j. of h. st.* II, p. 356 promulgatum, de quo p. 20 sq. disputavimus. In quibus titulis illud sane notabile videtur, quod in nullius capite, exceptis secundo decreto lapidis a Le Basio editi et duobus marmoribus ultimo loco prolatis, senatus additur, sed solum legitur ἔδοξε τῷ δάμῳ. Quid ergo? Utrum ob eam rem, quod senatus non commemoratur, auctam populi potestatem significari an quasi decurtatam illam formulam esse putemus? At vel ex verbis: οἳ ... διέλεγον ἐπελθόντες ἐπὶ τὰν βουλὰν καὶ τὰν ἐκκλησίαν, quae in titulo *C. I. G.* 3656 et apud Le Basium n. 251 leguntur, quam senatus rerum publicarum administrandarum expers non fuerit cognoscimus. Itaque nihil restare videtur, quam ut de decurtata dictione cogitemus. Qua autem ratione ipsam eam usitatae formulae contractionem explicemus?

Secundum illius Iasensis tituli decretum, quemadmodum res se habeat clare demonstrare mihi videtur. Nam cum in primo et tertio illorum scitorum ἔδοξε τῷ δάμῳ inveniatur, in secundo autem ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ occurrat, id aut lapicidae errore aut casu quodam factum esse, habeo cur denegem. Atqui si animum ad ea attendimus, quae illis in decretis constituuntur, invenimus primum et tertium psephisma ad Iasenses spectare et Rhodiorum tanquam responsa ad illorum querimonias data continere (cf. v. 16 ἀποκρίνασθαι αὐτοῖς ὅτι ὁ δᾶμος ...), secundum magis ad ipsos Rhodios respicere, cum iubeat creari homines, qui Iasensibus satisfaciant. Titulus enim ille Iasensis ita est comparatus, ut omnia Rhodiorum decreta, quae de quibusdam Iasensium iniuriis erant facta, ab ipsis Iasensibus composita comprehendat. Intellegimus igitur — id quod duobus illis decretis ultimo loco enumeratis confirmatur — in iis plebiscitis, quibus populus cum exteris nationibus ageret, breviorem illam formulam ἔδοξε τῷ δάμῳ esse usurpatam, quoniam in commercio cum exteris gentibus habito non nisi natio (ὁ δᾶμος τῶν Ῥοδίων) considerabatur. Quacum ratione bene quadrat, quod in statuarum subscriptionibus ad exterorum hominum laudem com-

positis plerumque senatus mentio omittitur, additur in Rhodiorum civium elogiis. Quamquam concedendum est in hisce rebus constantiam per omnes titulos observatam exspectari non posse.

Deinde autem verba κυρωθείσας δὲ τᾶς συμμαχίας, κυρωθείσας δὲ τᾶς σὺνθήκας, quae in foedere illo cum Hierapytniis inito v. 7 et 86 inveniuntur, brevem exigunt explanationem. Existimet quis enuntiatum κυρωθείσας δὲ τᾶς συμμαχίας nihil aliud significare quam «postquam foedus ratum esse coepit». At cum foedera tum demum valeant, quando uterque populus iure iurando est obligatus, hic autem de iure iurando demum post verba κυρωθείσας δὲ τᾶς συμμαχίας agatur, mea quidem sententia ea opinio probari nequit. Alius fortasse illa verba eam in sententiam accipi vult, ut quoniam Rhodii decreti contextus etiam ab Hierapytniis oportuit probari, ad Hierapytnii populi confirmationem referantur. Verum ne id quidem excogitari posse et verba συνενεγκεῖν Ῥοδίοις καὶ Ἱεραπυτνίοις τὰ δόξαντα περὶ τᾶς συμμαχίας et Hierapytniorum legatorum praesentia docent. Itaque cum neutri assentiri possimus, nihil est reliquum, quam ut illi populiscito maioris magistratus sanctione opus fuisse statuamus. Iam cum de Romanorum confirmatione ideo maxime cogitare non possimus, quod Naberus *l. l.* p. 88 hoc foedus c. annum 220 a Ch. n. ictum esse probabile reddidit[1]), iterum ad illius sive collegii sive contionis κόρωσιν sumus relegati, cui Rhodi aliisque in (Doricis) civitatibus summum rerum sacrarum regimen fuisse commissum p. 39 sq. demonstravimus. Quo simul argumentum effecimus ipsam illam sententiam fulciens, qua hanc auctoritatem vel ad res a sacris paulo remotiores pertinuisse credidimus (p. 40/41).

---

[1]) Quo in titulo unum moneam, quod adhuc minus ab hominibus doctis est elatum. Nam si confers vv. 35 sq. εἰ δέ κα συστᾷ πόλεμος Ῥοδίοις ποτί τινα τῶν ἐν συμμαχίᾳ ἐόντων Ἱεραπυτνίοις, εἰ μέν κα πολεμῶνται Ῥόδιοι, ἀποστελλόντων τὰν συμμαχίαν Ῥοδίοις Ἱεραπύτνιοι, εἰ δέ κα πολεμῶντι κατάρξαντες πολέμου μὴ ἐπάναγκες ἔστω Ἱεραπυτνίοις ἀποστέλλειν συμμαχίαν Ῥοδίοις cum verbis vv. 73 sq. εἰ δέ κα πόλεμον ἐξενέγκωντι Ἱεραπύτνιο[ι ποτί τινας ἄνε]υ τᾶς Ῥοδίων γνώμας, μὴ ἐπάναγκες ἔστω Ῥοδίοις ἀποστέλλειν συμμαχίαν, statim intellegis ambas illas urbes non in pari auctoritatis gradu esse positas, sed Rhodo tanquam capiti illius maritimae societatis plus iuris quam singulis eius urbibus fuisse concessum.

Etiam incolas pagorum comitiis Rhodiorum interfuisse docet cum formula illa ὁ σύμπας δᾶμος tum titulus *j. of h. st.* II, p. 356 .... ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ, Εὐφράνωρ Δαρδάνου Νεττίδας εἶπε ....

Quamquam autem praeter adnotata etiam quaedam alia minutiora ex inscriptionibus colligi possunt, tamen statim ad singulos Rhodios magistratus describendos transeamus.

Magistratus.

Summam reipublicae potestatem exercebant prytanes. De quibus cum homines docti testimonia sat accurate collegerint atque quae sint inde efficienda statuerint, non est cur diffuse disputem. Sed pauca haec adnotem. In titulo *C. I. G.* 2530 v. 7 πρυτα]νεύσ[α]ντα καὶ πάντα ... pro Boeckhii lectione πρυτ]ανεῦσι, τὰ καὶ propter antecedens στεφανωθέντα legerim[1]). Deinde moneam Franzii coniecturam (*annali* 1847, p. 107 n. 13) πρυτ]ανεύσας ... meliore Rossii lectione *In. in.* n. 283 τ]αμιεύσας refutari. Denique autem Boeckhius iniuria in titulo *C. I. G.* 3656 ἐπὶ ἱερέως Ἀρατοφάνευς Σμινθίου πρυτα[ν]ε[ύοντος ... ἔδοξε τῷ δάμῳ prytanis mentionem suspicatus est. Nam si similium decretorum formulas comparaveris, illo loco tempus accuratius significari solere intelleges. Accedit, quod nunquam in Rhodiis inscriptionibus pater flaminis Solis additur. Absolvitur autem res, quod Sminthium Rhodium mensem fuisse constat. Itaque cum Boeckhii vel potius Pocockii transcriptio exhibeat ΣΜΙΝΘΙΟΥ ΠΡΥΤΑΙΕΞΙ, non dubito quin legendum sit ἐπὶ ἱερέως Ἀρατοφάνευς, Σμινθίου πρ[ώ]τᾳ ἐξ ἰ[κάδος (cf. *j. of h. st.* IV, p. 352 Ἀγριανίου ἐνάτᾳ ἐξ ἰκάδος, II, p. 356 ἐπὶ ἱερέως Ἀγεστράτου Καρνείου ἑβδόμᾳ ἐξ ἰκάδος ἔδοξε). Quod cum ita se habeat, cadit Gilberti adnotatio (*Handbuch* II, p. 178 adn. 3), ubi hac inscriptione respecta scribit Rhodiorum titulorum tempus prytanis nomine interdum definiri. Quae de Rhodiorum prytanibus. b) magistratus. πρυτάνεις.

Aequiperabat prytanum potestatem nauarchi imperium. ναύαρχοι.
Cuius antiquissima mentio a Diodoro 20. 88 (ad annum 304), recentissima ab Appiano de bell. civ. 4. 66 (ad annum 43) facta

---

1) Quo cum titulo ubi contuleris apud Rossium *Hell.* p. 99 n. 23, in vv. 3 et 4 κα[ὶ ὑ]πὸ τᾶν [βο]υλᾶν, in vv. 7 et 8 πρυτα]νεύσ[α]ντα καὶ πάντα πράξ]α[ν]τα τῷ δάμῳ emendandum esse facile concedes.

est. Inscriptiones eum commemorantes Bottermundio duae innotuerant (*C. I. G.* 2525, *b. h.* III, p. 471), quarum alterius ab Homollio Deli repertae tempus paulo restrictius definiri potest. Nam ex multitudine inscriptionum proximis his annis a Francogallis Deli effossarum familiarem illam rationem, quae tertio saeculo et initio secundi inter Delum et Rhodum intercesserat, postquam, reddita insula anno 166 Atheniensibus, portoria a Romanis sunt sublata, plane abruptam esse liquido apparet. Qua re titulum, de quo agitur, inter annos circiter 300—166 insculptum esse sequitur. Neque errasse puto Homollium, cum Aristolochum Pisistrati filium, qui in societate a Rhodiis cum Hierapytniis inita nominatur (*Mnem.* 1852, p. 82 102 ὁρκωταὶ ἐν Ῥόδῳ· Ἀριστόλοχος Πεισιστράτου καθ᾽ ὑοθεσίαν δὲ Ἀρχύλλου), aut patrem aut filium nauarchi fuisse existimaret. Sed cum Aristolochus, qui in decreto illo invenitur, adoptione in aliam familiam reciperetur, ut probabilius sit eum filium suum Archyllum nominasse, filium potius eum nauarchi fuisse putaverim. Atqui cum foedus illud non ante annum 220 iceretur, patrem Aristolochi nauarchum inter annos 250 et c. 166 in munere fuisse cogitur. Neque tamen hunc Pisistratum esse illum Rhodium, qui *b. h.* II, p. 325 v. 12 legitur (ἀνάθημα ἀρχιθεώρου Πεισιστράτου καὶ θεωρῶν ἐγ Ῥόδου) pro certo affirmaverim.

Duos neglexit titulos et Bottermundius et Gilbertus, alterum Deli, Olympiae alterum inventum (*b. h.* II, p. 325 v. 18; *Arch. Ztg.* 1881, p. 186). Suo enim iure Homollius *l. l.* p. 332 nauarchum et trierarchum, qui in priore inscriptione nominantur, Rhodios fuisse collegit. Ex altera vero inscriptione Bottermundium Foucartio adversatum recte contendisse intellegimus nauarchum et nomine et ordine a strategis diversum fuisse (Εὔθυον Ῥόδιον τὸν συγγενῆ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ στρατηγὸν τῶν κατὰ Κύπρον καὶ ναύαρχον καὶ ἀρχιερέα οἱ ἐν Κύπρῳ στρατευόμενοι Ἀχαιοὶ καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἀρετῆς ἕνεκα etc.).

Denique in titulo *Br. Mus.* n. 343 edito

. . . . .] άρχου Νικομήδευς
Πανάμο]υ νουμηνίᾳ. Διοκλῆς
Λεω]δάμαντος εἶπε·

Newtonius optimo iure lacunae spatio se applicans ἐπὶ ναυ]άρχου supplevit. Nam de nomine proprio cum ἐπί coniuncto ideo

cogitare non licet, quod in plebiscitis semper apponitur ἱερέως, cui vocabulo spatium non suppetit. Causam quoque, cur hoc decretum nauarchi nomine definitur, vir ille doctus, cum ad rem maritimam gerendam referat, bene perspexisse mihi videtur. Fortasse autem non fallor nauarchum etiam illi ecclesiae praefuisse ideoque maxime nomen eius rescriptum esse colligens. Alias enim prytanes id officium sustinebant. Verum haec hactenus.

Praefectos classis et praetores plane diversos fuisse — id quod Foucartius negaverat — recte Bottermundium effecisse vidimus. Tamen Bottermundius Appiani loco (Syriaca 27) nixus parvae classis parti interdum praetores praefuisse putat. Cui sententiae minime adstipulari possum. Quamquam enim ex titulo, quem supra protulimus (*Arch. Ztg.* 1881, p. 186), eundum hominem diversis temporibus et classi et copiis pedestribus praepositum fuisse cognovimus, tamen classis aliquem praefectum στραταγόν a Rhodiis appellatum esse his de causis non crediderim. Nam ut id mittam singularem illum Appiani locum esse, auctoris ab hominibus doctis persaepe carpti, ipsumque praetoris nomen spurium tradi, manifesto ex Livii enarratione in libro XXXVII exhibita apparet Eudamum summum Rhodiae classis praefectum fuisse h. e. nauarchum. Accedit quod navium numerus, quas Appianus viginti quinque, Livius viginti duas fuisse prodit, minime parvus erat, id quod optime eo elucet, quod Rhodios persaepe multo minori navium numero nauarchos praefecisse scimus (cf. Livius 37_{22}, Appian. Mithrid. 25). Denique facile quomodo Appianus in hunc errorem incidere potuerit demonstrabimus. Livius enim in pugna navali describenda, ad quam Appiani ille locus spectat, haec facit verba (lib. XXXVII c. 29): «nisi . . . . Eudamus Rhodiaque classis substitissent ad terram, ut et sine trepidatione conscenderent et ut quaeque parata esset, exiret navis. Ita et explicuere ordinem primae in conspectu praetoris et coactum agmen ab Rhodiis est». Iam si Graecum horum verborum contextum apud Polybium similiter comparatum tibi proponis, quam facile homo minus attentus vocabulum στρατηγός, quod Romanum praetorem significabat, de Rhodiorum navium praefecto intellegere potuerit, nemo non videt. Itaque Appianus hoc vel simili loco in errorem adductus esse videtur. Quod cum ita sit, ex uno hoc Appiani loco illa Bottermundii opinio concipi nequit. στραταγοί.

4*

De numero praetorum.

Numero autem praetores in duobus titulis decem (*Rev. arch.* 1865 I, p. 294 = *Löwy* 185, *M. a. Ath.* II, p. 224), in uno duodecim perscribuntur (*Ross, In. in.* n. 275). Constat igitur etiam apud Rhodios praetorum numerum pro temporum condicione esse immutatum. Itaque operae sane pretium facere mihi videor, si accuratius in horum titulorum tempus inquiram. Atque catalogus ille *Rev. arch.* 1865 I, p. 294 = *Löwy* n. 185 evulgatus mentione Theonis sculptoris satis arte definitur. Nam cum idem Theon Antiochenus in alia inscriptione *Rev. arch.* 1866, p. 164 (= *Löwy* 184) una cum Mnasitimo Telesonis filio Rhodio nominetur[1], cuius mentio in basi una cum Phyle Halicarnassensi fit (*Hirschfeld, tit. stat.* 69. 70 = *Löwy* n. 181), ubi Phylis tempus circumscripserimus, etiam Theonis aetatem cognoscemus. Phylen autem statuarium, cum statuam Rhodii cuiusdam Agathostrati iubente illo insulanorum communi (τὸ κοινὸν τῶν νησιωτῶν), cuius caput Delus erat (*b. h.* IV, p. 320 sq., VII, p. 5 sq.), sculperet (*Hirschfeld, tit. stat.* n. 70[b], = *C. I. G.* II add. 2283[c]), inter annos c. 300—166 (196) floruisse certum est. Cuius tempus etiam accuratius definire possumus, si rationem inter societatem illam insulanorum et proximas gentes intercedentem respexerimus, quo ad tertium a. Ch. saeculum eum referre cogimur (cf. *b. h.* IV, p. 332). Artissime autem eius tempus circumscribitur, si Agathostratus Polyarati filius, quem insulanorum commune honorabat (*C. I. G.* II add. n. 2283[c]), idem Rhodius est, qui apud Ephesum circa annum 240 Ptolemaei Euergetae classem delevit (cf. Polyaen. v. 18, *Wachsmuth, Götting. Festrede* 1870, p. 6 meamque commentationem *Rh. M.* XLI, p. 223 sq.). Quare ad idem tempus titulum, in quo decem praetores enumerantur, spectare colligere possumus.

Neque scio an alia quoque ratio, quamquam nunc nondum ad propositum adducit, tamen aliquando rem sit expeditura. Nam cum nomen Ἀριστόλας in Rhodiis inscriptionibus rarum

---

[1]) Mnasitimi enim Telesonis filii et Phylis Halicarnassensis statuas, si tempus respicimus, non diu a Theonis et Mnasitimi distare cum palaeographica indicia apud Loewyum exhibita docent, tum ea ipsa res suadet, quod in eodem lapide ambo tituli exstant. Accedit quod is homo, cuius statuam Phyles confecit, affinitate coniunctus erat cum eo Rhodio, quem Mnasitimus signo definxerat.

sit, id animum meum inclinat, ut Ἀριστόλας Εὐ . . . ., quod in titulo *Rev. arch.* 1866, p. 164 (= *Löwy* n. 184), in quo Theonis et Mnasitimi sculptorum fit mentio, exstat, Εὐ[φάλιος] explendum et eundem hominem intellegendum esse existumem, qui *M. a. Ö.* 1883, p. 138_{40} recensetur (Ἀριστόλας Εὐφάλιος [Λινδοπολίτα]). Cui sententiae illud etiam fidem facit, quod titulus *Rev. arch.* 1866, p. 164 editus Lindi inventus est, hunc autem Aristolam, qui in altera inscriptione legitur, Lindopolitam fuisse ex praescriptione apparet. Itaque iam in eo res est, ut alterius huius inscriptionis tempus definiatur. Atque cum quinque huius catalogi homines etiam in titulo *Rev. arch.* 1867 I, p. 208 (= *Br. Mus.* n. 357) prolato occurrant, in propatulo est utrumque titulum eodem ferme tempore incisum esse et utriusque tituli nominibus adhibitis de tempore posse inquiri. Quamquam autem inscriptiones, quae adhuc innotuerunt, mea quidem sententia nullam ad definiendum huius tituli tempus ansam praebent, tamen, quod ipse hic titulus maximi momenti est et aliquam lucem ex priore argumentatione concipit, totam hanc ratiocinationem silentio tegere nolui.

Alterius autem tituli, quo duodecim praetores enumerantur (*Ross, In. in.* n. 275), tempus eo restrictius circumscribi potest, quod Εὐφάνισκος Καλλιξείνου καθ' ὑοθεσίαν Ὀνασάνδρου, qui versu quinto nominatur iterum — id quod iam Foucartius *Rev. arch.* 1865 I, p. 295 adn. vidit — in titulo apud Le Basium n. 205 recurrit, inciso inter annos 247—205. Nequaquam tamen Foucartio assentiri possum, cum Εὐφάνισκον Καλλιξείνου καθ' ὑοθεσίαν δὲ Νικασιδάμου, qui inter Delphicos proxenos a. 180/79 recensetur, eundem hominem esse existimat. Neque enim habemus, cur tam gravem lapicidae errorem sumamus.

Officia autem singulorum praetorum exceptis duobus adhuc ignota sunt. Unus enim ἐπὶ τὸ πέραν id est Peraeae, alter ἐπὶ τὰν χώραν praepositus erat, quod alterum Bottermundium recte ad ipsam insulam rettulisse docet titulus *Br. Mus.* n. 353 (ἐπὶ τᾶς χώρας ἐν τᾷ νάσσῳ; cf. στρατηγοὶ ἐπὶ τὴν χώραν in insc. Alaband. *b. h.* V, p. 180).

de formula στραταγήσας ἐκ πάντων.

Restat ut de mira illa dictione στραταγήσας ἐκ πάντων (*Br. Mus.* n. 353; *Salzmann, Nécropole de Camiros* tab. 7; *b. h.* VIII, p. 358), quae nondum recte mihi videtur explicata, paucis diseram.

In titulo a Salzmannio expresso (= *Fröhner, inscr. de Louvre* n. 27 [᾿Αλεξίμαχος ᾿Αρισταινέτου στραταγήσας ἐκ πάντων καὶ τιμαθεὶς ὑπὸ Καμιρέων θεοῖς]) Aleximachum fuisse Camirensem cum ex toto contextu verisimile est tum eo probatur, quod ethnicum omittitur. Nam Camirensibus suorum civium aliquem honorantibus non erat, quod disertis verbis eum esse Camirensem adderent.

Item hominem, qui *Br. Mus.* n. 353 legitur στραταγήσας ἐκ πάντων, Camirensem fuisse certo constat. Nam ut illud mittam Camiri eam inscriptionem inventam esse, tituli argumento hominem iis magistratibus et sacerdotiis Camiri praefuisse edocemur, quibus prioribus temporibus nulli nisi ipsius Camiri aut eorum pagorum incolis, qui pacto huic urbi adiuncti erant, licebat fungi (cf. p. 27).

Iam cum illum hominem ad Camirensium societatem pertinuisse certum sit, nescio an prima illius tituli verba, quae paulo obscuriora sunt, possint sanari. Compendium enim scripturae [o], quod in primo versu invenitur, cum in Rhodiis inscriptionibus compendia tantum ad significanda aut praenomina aut demotica adhibeantur, nisi hoc exemplum excipimus, aut praenominis aut demotici significationem complecti necesse est. Sed quoniam patris nomini nusquam solet praemitti praenomen (cf. *Br. Mus.* n. 344), compendio [o] demoticum significari sequitur. Atque cum de Camirensi communi agatur, aut Πολίτας aut Ποντωρεύς intellegi potest. Cum autem titulus ad unum hominem spectet, altero versu eum adoptione ad aliam familiam transiisse perscriptum fuisse necesse est. Et quidem cum nomen Σιλύριος, nisi egregie fallor, nusquam alias in Rhodiis inscriptionibus obvium sit, et ante ᾿Αριστ]αινέτου ut ante ᾿Αριστοκράτευς aliud nomen praemissis verbis καθ᾿ ὑοθεσίαν, probabiliter per compendium KAΘ̌ exaratis (cf. *Br. Mus.* n. 344 v. 21, 31 etc.), evanuerit, vocem Σιλυρίου lapicidae errore pro Σι[β]υ[θ]ίου, quod Camirense demoticum fuisse est certum, incisam esse putaverim. Neque iure opponas ei rationi lapicidam litterarum distributione figuram quandam efficere voluisse, eiusque concinnitatem et ordinem turbari, si ante ᾿Αριστ]αινέτου et ᾿Αριστ]οκράτευς duo vel tria haec vocabula fuisse statuamus. Nam non solum permulta proferri possunt exempla, quae non semper horum titulorum verba in figurae speciem com-

posita esse docent, sed vel ex compluribus huius tituli versibus minime lapicidam ei concinnitati inservisse apparet. Verum utut ea res se habet, illud exploratum est, praetorem illum fuisse Camirensem.

Tertiam denique quam laudavimus inscriptionem in Carpatho insula inventam et a Beaudouinio *b. h.* VIII, p. 358 editam vel graviorem speciosioremque esse arbitror. Cui, cum nondum lecta atque explicata sit, paulo diligentius perscrutandae immorabimur.

ΝΚΑΙΘΡΑΣΙ.ΑΜ
ΘΥΟΘΕΣΙΑΝΔ
ΡΑΤΑΓΗΣΑΣΕΙ
ΑΠΟΛΕΜΟΝΕΚΠΑ
ΙΑΕΙΣΚΑΙΤΑΝΤ
ΑΙΤΑ.ΡΟΥΡΙΑΑΠ
ΑΝΤΑΔΙΑΦΥΛΑΞΑΣΤ
ΚΑΙΑΝΑΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣΤΑ
ΠΙΣΥ.Τ..ΧΩΡΑ.ΚΑΙΤΑ
ΥΜΙΑΝΚΑΙΤΑΝΚΥ.\ΑΝΔΙΑ
ΙΤΑΕΝΑΥΤΑΙΣΦΡΟΥΡΙΑ
ΤΕΙΔΑΝΙΠΟΡΘΜΙΩΙ

Quam Beaudouinius bene perspexit in universum agere de praetore, qui bello coorto complura castella tenuerat et novum aliquid recuperaverat. Iam si illa verba accuratius contemplamur, statim eum aliquam χώραν expugnasse elucet. Itaque cum ἀνακτησάμενος cum ΤΑ[Ν / ΠΙΣΥ.Τ..ΧΩΡΑ[Ν coniungendum sit, in litteris ΠΙΣΥ.Τ.. alicuius populi appellationem latere sequitur. Quem indagantibus nobis de Pisuetis cogitare maxime in promptu est, quos incolas fuisse urbis in Cariae sitae a pluribus scriptoribus edocemur (cf. Stephanum Byz. s. v. Πισύη· πόλις Καρίας. λέγεται καὶ Πιτύη. τὸ ἐθνικὸν ὁμοίως Πισυήτης et s. v. Πιτύη· πόλις Καρίας. οἱ πολῖται Πιτυᾶται. Καπίτων δὲ διὰ τοῦ σ̄ αὐτὴν λέγει, *Liv.* 33. 18 (anno 197) «iisdem diebus omnia simul inclinante fortuna Rhodii quoque ad vindicandam a Philippo continentis regionem (Peraeam vocant) possessam a maioribus suis Pausistratum praetorem cum octingentis Achaeis peditibus, mille et nongentis fere armatis, ex

vario genere auxiliorum conlectis, miserunt: Galli et Nisuetae et Pisuetae, Tamiani et Arei ex Africa et Laodiceni ex Asia erant»).

Porro in sequentibus quoque litteris gentium vel oppidanorum nomina delitescere liquet. Et quidem cum vocabuli, quod verba καὶ τάν excipit paenultima iterum nos ad Cariam deleget et apud Stephanum, alios urbs Cariae Κύλλανδος (Κ. πόλις Καρίας. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ. τὸ ἐθνικὸν Κυλλανδεὺς [cod. A Κύλανδος]) inveniatur, quae eadem saepius in catalogis tributorum legitur (cf. *Köhler*, *Sitzungsber. d. Berl. Akad.* 1869, p. 188), nonne καὶ τὰν Κυ[λ]λανδία[ν] sc. χώραν summa cum probabilitate supplemus? Neque tamen antecedens nomen certo restitui potest, quoniam complures in Caria sitae erant urbes, quarum nomina in υμα exibant, unde adiectivum .... υμία (sc. χώρα) derivatum videtur. Quamquam nescio an Ἰδ]υμίαν supplendum sit, cum haec urbs in compluribus tributorum catalogis prope absit a vocabulo Κυλλάνδιοι (cf. *Köhler l. l.* p. 186).

Quae cum ita sint, pro certo affirmari licet praetorem illum bello moto in Caria res bene gessisse. Quid ergo? Nonne luce clarius est hoc bellum non a Carpathiis, parvae illius insulae incolis, sed a Rhodiis administratum esse? Neque tamen est, cur aut praetorem illum natu Rhodium fuisse aut titulum ex Rhodo insula ablatum esse dicamus. Nam ne deportatum eum putemus, impedit magnum inter Rhodum et Carpathum intervallum; utramque autem opinionem ea res labefacit, quod praetor ille Neptuno Porthmio non nisi in Carpatho insula culto donarium dedicat. Gravissimum vero argumentum, quo etiam Carpathium a Rhodiis praetoris munere ornari potuisse intellegimus, ex eo repeti potest, quod et scriptorum et inscriptionum testimoniis Carpathum ut complures insulas proxime Rhodo sitas artissima societate cum Rhodo coniunctam fuisse supra demonstravimus. Itaque hominem illum non ex ipsa Rhodo urbe oriundum fuisse certum videtur[1]).

---

[1]) Totum autem titulum hunc fere in modum supplendum esse existimo:

.... Θρασι[δ]άμ[ου (cf. *Dumont, inscr. cér.*, p. 131 n. 29)
κα]θ᾽ ὑοθεσίαν δ[ὲ ....
στ]ραταγήσας ἐ[πὶ τὸ πέραν (cf. *M. a. Ath.* II, p. 225 v. 27)

Qui autem in ceteris titulis commemorantur praetores omissis verbis ἐκ πάντων (*C. I. G.* 2524; *Rev. Arch.* 1865 I, p. 297; *Arch. Ztg.* 1881, p. 186), ii ex ipsa urbe Rhodo fuisse videntur.

Cognovimus igitur verba ἐκ πάντων tantum iis praetoribus addita esse, qui ex una trium veterum urbium aut ex insula cum Rhodo foedere coniuncta oriundi erant. Quare cum Froehneri sententia (*Inscr. du Louvre* n. 27), qui ἐκ πάντων eundem sensum complecti atque χειροτονηθεὶς ὑπὸ πάντων (élu à l'unanimité) putat, sine ulla dubitatione sit perversa, neque Longperieri opinio (*bull. arch. de l'Athénaeum français* 1855, p. 76) propius ad veritatem accedat, manifesto patet verbis ἐκ πάντων significari praetores, qui ex iis Rhodiis, qui non in capite habitabant, erant creati. Atque bene cum hac verborum ἐκ πάντων notione dictio in Atticis titulis obvia παῖδες ἐκ πάντων conferri potest, quam Longperius etsi primus attulit, tamen male perspexit.

Qua in re expeditam quandam habemus monstrationem, qua ratione eos Rhodios, qui non in ipso capite habitabant, rerum publicarum Rhodiarum participes fuisse cogitandum sit. Sed cum ad id temporis non multa alia accedant indicia, hoc accuratius persequi desisto.

Imperatorum aetate uni strategorum curam statuarum delatam fuisse iam Bottermundius ex Dionis Chrysostomi testimoniis collegit (*Dio Chrys.* XXXI, 569. 594. 597. 605. 613. 619. 637. 641 R). Quae res nescio an titulo quodam confirmetur. Emanuelus Loewy (*M. a. Ö.* 1883 I, p. 113 n. 8) inscriptionem, quam Roehlius *M. a. Ath.* II, p. 228 in appendice ex Pannii schedis admodum mance et corrupte evulgaverat, accurate colla-

---

κατ]ὰ πόλεμον ἐκ πά[ντων καὶ τοὺς (cf. *C. I. G.* 2524)
. . . .]ιαεῖς καὶ τὰν T[. . .
κ]αὶ τὰ [φ]ρούρια ἅπ[αντα . . .
ἅπ]αντα διαφολάξαὶς τ[ῷ δάμῳ
καὶ ἀνακτησάμενος τὰ[ν (τῶν)
Πισυ[α]τ[ᾶν] χώρα[ν] καὶ τὰ[ν
Ἰδ]υμίαν καὶ τὰν Κυ[λ]λανδία[ν
κα]ὶ τὰ ἐν αὐταῖς φρούρια
Πο]τειδᾶνι Πορθμίῳ.

Quam inscriptionem pluribus de causis maximi esse momenti vides.

tam expressit[1]). Quo in titulo Rhodii anno 53 p. Ch. n. iis legatis, qui libertatem a Claudio anno 44 demptam redditam esse urbi Nerone auctore referebant, statuas decernunt. Iam cum in versibus 6 et 7 legamus: δεδόχθαι τᾶ βουλᾶ καὶ τῶ δάμω κυρωθέντος τοῦδε το . . | . . . . ραταγῶν ἐπὶ βάσιος λίθου λαρτίου ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἁλίου ὑπὲρ . . ., quo loco τοῦδε το[ῦ ψαφίσματος et στ]ραταγῶν explendum esse patet, quaeritur utrum στραταγῶν cum antecedenti enuntiato κυρωθέντος τοῦδε το[ῦ ψαφίσματος an cum sequentibus verbis sit coniungendum.

Sed cum in titulis Rhodiis, in quibus verba κυρωθέντος τοῦδε τοῦ ψαφίσματος leguntur, nunquam magistratus, penes quem ea κύρωσις erat, addatur, ne in hac quidem inscriptione eum morem omissum esse existumem. Quare illius praetorum officii, cuius testis Dio est, etiam hic indicium exstare videtur[2]).

de ceteris magistratibus.

De ceteris minoribus magistratibus cum Gilbertus et Bottermundius satis diligenter exposuerint, quamquam non desunt, quae improbem, tamen nunc nihil adnotem[3]).

de scribis.

Sed de eorum scribis paucis mihi est disputandum. De quibus Bottermundius etsi in universum accurate egit, tamen difficillimam, quae de scriba, qui nominatur δαμόσιος, posita est quaestio, omnino non attigit[4]). In titulo enim a Rossio *Hell.* n. 46 primum edito haec exstant:

. . . . -
ασταν τῶν τᾶς πό-
λ[ι]ος δούλων Εὐλί-
μ]ενος γραμματεὺς
δα]μόσιος ἱερατ[ευ]σ-
Διὸς Ἀταβυρίου
. . . .
. . . .

---

[1]) Iam Newtonius in addendis ad titulum *Br. Mus.* n. 344 compositis complura nomina, quae in inscriptione n. 344 inveniuntur, etiam hic occurrere perspexit, unde quam feliciter nomina quaedam mance perhibita suppleantur intellegis.

[2]) Kuhnert, de cura statuarum apud Graecos, p. 11 (12) hoc neglexit.

[3]) De magistratibus, qui dicuntur ἀγορανόμοι, vide quae *Rh. M.* XLI, p. 240 exposui.

[4]) *Br. Mus.* n. 346 = *Ross, Hell.* n. 46; *Br. Mus.* n. 358 v. 18; cf. *Keil, Philol.* II suppl. (1863), 612, *Foucart, assoc. rel.*, p. 112; *Lüders, Dionys. Künstler*, p. 168 n. 61; *Newton, Br. Mus.*, p. 121.

Iam Keilius, cum Rossii supplementum ἱερατεύσ[ας ab omnibus hominibus doctis probatum reciperet et Eulimenum Iovis sacerdotio functum esse intellegeret, eum servum publicum fuisse negavit; quare qui vocatur γραμματεὺς δαμόσιος idem atque γραμματεὺς τοῦ δάμου videtur ei esse. At multa ei sententiae obstant. Primum enim ea res, quod Eulimeno patronymicon non additum est, in Rhodiis inscriptionibus non nisi in magistratibus eponymis praescribendis omissum, eum aut servum aut libertum fuisse, ut statuamus suadet. Tum accedit, quod neque veterum scriptorum neque titulorum testimoniis pro γραμματεὺς τοῦ δάμου etiam dictum esse γραμματεὺς δαμόσιος confirmatur. Denique vero ubique vocabulum δαμόσιος eam habet vim, ut id, quod civitatis sit et inprimis servos publicos significet (cf. *Böckh, Staatshaushalt* II, p. 228 et de demosio in Deliis titulis obvio *Löwy* n. 247). Quae quidem notio quantopere ipsius tituli verbis τῶν τᾶς πόλιος δούλων postuletur nemo non videt. Quibus argumentis commotus Eulimenum servum publicum fuisse pro certo habeo. Tamen facere non possum, quin Keilio, qui servum sacerdotio ad totius reipublicae deum pertinente functum esse denegat, prorsus adstipuler. Quid ergo? Iam si et Rossii et Newtonii apographum accuratius contemplaris, in quinto versu plures quam duas litteras (ας) evanuisse intelleges. Nihil igitur impedit, quominus ἱερατεύσ[αντα suppleamus, quam vocem respicere necesse est ad nomen, quod in capite tituli interciderit.

Qua ratione ductus totum titulum sic fere restituam:

[τὸν δεῖνα τοῦ δεῖνα]
[εὐεργέταν . . . .]
αστᾶν τῶν τᾶς πό-
λ[ι]ος δούλων Εὐλί-
μ]ενος γραμματεὺς
δα]μόσιος, ἱερατεύσ-
αντα] Διὸς Ἀταβυρίου.

cf. *C. I. G.* 2525 C., *Hamilton, researches in Asia minor* n. 300.

Constat enim etiam servos κοινὰ vel θιάσους effecisse. Neque verba τῶν τᾶς πόλιος δούλων illius communis nomini addita superflua videntur, quoniam aut in tanta Rhodiorum communium multitudine facile alterum κοινόν eodem nomine praeditum fuisse potest aut Eulimenus eo consilio ea adiunxisse putandus est, ut illud munus γραμματεὺς δαμόσιος quasi illustraretur et de-

dicationis causa explicaretur. Denique ne illud quidem offendit, quod Εὐλίμενος γραμματεὺς δαμόσιος interpositus est inter nomen viri honorati et vocem ἱερατεύσαντα. Nam cum in titulis honorariis persaepe sententiarum conformatio paulo contortior occurrat, tum illa collocatio τῶν τᾶς πόλιος δούλων Εὐλίμενος γραμματεὺς δαμόσιος facile propter artam rationem inter utramque notionem intercedentem intellegitur. Quae autem sequuntur verba τῶν κορίων etc., utrum voce διὰ, μετὰ, ὑπέρ an simili particula adiungenda sint, cum adhuc neminem ea recte expediisse putem neque ipse habeam, quod pro certo affirmem, nolim diiudicare. Sed illud moneam, ipsam vocem κόριοι Eulimenum servum fuisse confirmare (cf. *M. a. Ö.* 1883, p. 142 ἡ δεῖνα . . . τ]οῖς ἑαυτῆ[ς κυρ]ίοις ἠλευθερωμένη ὑπ' αὐτῶν δωρεὰν ἥρωσι).

Alter titulus in quo γραμματεὺς δαμόσιος legitur, expressus est *Br. Mus.* n. 353. At Newtonius ne verbo quidem, quid scribae publici mentio illa in inscriptione facta sibi velit, transigit. Mihi, cum nullo modo de subscriptione quasi sanctionis causa addita cogitari possit, quoniam illa verba non extremo tituli fine exstant, nihil restare videtur, quam ut eam quoque dedicationem a scriba publico factam esse sumamus[1]). Quod si bene perspexi, aut ante Ἀριστοκλεῦς vocem ὑπέρ supplendam aut omissa ea particula vocabulum εἰκόνα vel simile exaudiendam esse sequitur, qui usus multis exemplis fulciri potest. Quid? quod ea ratione adhibita etiam litterae, quae in versu 19 exstant, Newtonio inexplicabiles visae, ita accipi possunt, ut in iis nomen eius liberi hominis, per quem servus ille publicus dedicationem faciebat, delitescere intellegamus.

Verum copiosius de huius scribae munere exponere nequimus.

de sacerdotibus. Postquam quae hominum doctorum commentationibus de iis Rhodiorum magistratibus, qui in ipsa re publica administranda versabantur, erant addenda, protulimus, iam ii magistratus, qui deorum cultui consulebant, sunt perlustrandi. Sed illis causis, quas supra proposui commotus, nunc de ea re disserere desisto.

---

[1]) Fortasse tamen ad hunc scribam munus curandarum statuarum delatum est. De qua re cf. Kuhnert, de cura statuarum apud Graecos p. 13 sq.

Unum tamen moneam. Necesse enim est restringam Foucartii adnotationem, quam *Rev. arch.* 1866 I, p. 351 (consentiente Newtonio *Br. Mus.* p. 121) de usu formarum ἱερεύς et ἱερατεύσας (item ταμίας, ταμιεύσας et στρατηγός, στρατηγήσας) protulit. Foucartius enim compluribus e titulis effecit de sacerdote, dum in munere esset, vocem ἱερεύς, si priore tempore officio functus esset, verbum ἱερατεύσας usurpari neque nisi seriore Romanorum aetate id discrimen confundi. Qua ex re homo ille doctus certum indicium et de ordine magistratuum et tempore titulorum concipi posse putavit. At cum duobus in titulis Flaviorum tempestate incisis in altero discrimen illud obscuretur (*Rev. arch.* 1866 I, p. 353 n. 16), distinguatur in altero (*Ross, Hell.* p. 99 n. 23) et in publico decreto ad secundum aut tertium ante Ch. n. saeculum pertinente (*b. h.* VII, p. 97) vox ἱερατεύειν de sacerdote, qui in munere est, adhibeatur, neminem fugit quam incerta sit illa Foucartii distinctio. Quod cum ita sit, etsi saepius illud discrimen intercedit, tamen non habes, quo titulorum tempus certo circumscribas.

Sed iam finem commentationi nostrae imponamus.

Forsitan autem existumet quis eam investigandi et describendi rationem, quam in hoc opusculo sum persecutus, scilicet ut non omnia quae de Rhodiorum institutis habemus comperta, quasi uno tenore proponerem, sed in singulis accuratius perscrutandis et emendandis acquiescerem, eam minus esse aptam ad exprimendam illius civitatis imaginem excitandamque lectoris oblectationem. Quam si quis amplectatur opinionem, is velim praeter ea, quae initio huius disputationis monui, etiam haec animo perpendat. Qui hodie totam Rhodiorum reipublicae imaginem effingere atque exprimere conatur, ei non solum veterum scriptorum et inscriptionum testimonia sunt adsciscenda, sed plane necesse est, quaecunque archaeologiae, nummorum, ceterarum artium doctrina praebet subsidia, ea omnia in usum suum convertat atque ad adumbrandam illius status effigiem comprehendat. Quod ad opus conficiendum quam multa sint paranda, parata quam pauca suppeditent, vix est quod moneam. Ex altera autem parte certa ostentatur spes, ubi primum ipsa insula et quae ei subdita erat terra paulo diligentius erit ex-

plorata, fore ut haut paucae novae inscriptiones inveniantur novum lumen illis rebus allaturae. Quid? non referta est acropolis urbis Lindi antiquis monumentis, ut vel obiter effodienti optima prosperi successus sit spes? Quae cum ita sint, id tantum poteram mihi proponere, ut in materiem nobis servatam ad normam artis criticae inquirerem, examinata singula testimonia sic illustrarem, ut quanti momenti ad totum propositum essent eluceret.

Sane extrema adumbrationis lineamenta sunt ducta; etiam singula quaedam instituta paulo clarius e tenebris, quibus obruta latebant, emergunt; sed quot res ad interiorem quasi civitatis temperationem spectantes, quae demum colorem imagini inducant, adhuc in occulto abditae delitescunt?

Verum tamen spem dat archaeologorum illud: «dies diem docet».

Et quam praeclarum erit operae pretium!

Nonne enim plurimum nostra interest aperte perspicere, quibus institutis res publica Rhodiorum a Graecis democratiis, quae tum erant, differat, quibus confirmata, dum omnes Graeciae civitates senescant, quasi iuvenili robore vigeat?



Vita scriptoris.

Carolus Schumacher Duhrensis natus sum pridie Id. Oct. a. 1860 patre Aemilio matre Ludovina e gente Fuchs adhuc superstitibus. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus inde ab anno 1872 gymnasium Heidelbergense frequentavi, quod etiamnunc sub auspiciis Georgii Uhligii, viri clarissimi mihique semper benevolentissimi, floret. Testimonium maturitatis adeptus autumno a. 1880 Friburgum me contuli, ubi per annum militarem et quantum temporis Mars relinqueret, studiis philologicis impertirem. Audivi viros amplissimos Hense, Paul, de Holst. Deinde Heidelbergam reversum per octies sex menses docuerunt me viri clarissimi Brandt, de Duhn, Eisenlohr, Fischer, Osthoff, Schöll, Uhlig, Wachsmuth, Zangemeister. Aestatem anni 1884 degi Bonnae atque interfui scholis virorum doctissimorum Bücheleri, R. Kekulei, Useneri. Sodalis fui seminarii philologici Heidelbergensis per quattuor semestria ordinarius; exercitationibus archaeologicis de Duhn, epigraphicis de Duhn, Osthoff, Zangemeister, numismaticis de Duhn, paedagogicis Uhlig, philologicis Brandt, photographicis Eisenlohr benigne me admiserunt. Praeceptoribus meis debitas ago gratias omnibus, imprimis vero de Duhnio et Wachsmuthio, quorum memoriam pientissime recolere nunquam desinam.



Conspectus.

Pars I.

Quaenam rationes iuraque fuerint constituta inter Rhodum caput et Camirum, Ialysum, Lindum.

Pars II.

Quaenam capitis fuerit rerum publicarum forma.



Typis C. F. Winteri.



